ę y tego, co sam iest, ...
u nie zostáwuiac ($) *Mul;*
retinuit. Dwa są światy,
e názywa się máłym świá-
y pełen iest źiemskich már-
ecz iest wielka, ále wielu,
ita, wyrżec się pierwszego,
... nánia doskonálsza,
náśláduiącym przyzwoita;
iáśnie wydáło się w Swię-
wątpi, że w nászym oczy-
cie; Národźił się ná wzor
ánciszka w stáyni, wycho-
źicow, FELIXA DEZY,
, lubo niemiał dostátkow
iáko y Apostołowie, to ie-
ná miłość kocháć kazała,
n to, co doskonálsza ie...
usowe zaprz... ...
... p...kutym, mocniey-
terro sed f... volun...
em
...
...ie-

DISCIPLINA POPULI DEI IN NOVO TESTAMENTO

EX

SCRIPTORIBUS SACRIS ET PROFANIS COLLECTA

A

DOMINO FLEURY PRESBYTERO ET PRIORE ARGENTOLIENSI GALLICE SCRIPTA.

LATINE REDDITA PER SACERDOTEM SOCIETATIS JESU.

LEOPOLI
Typis Casim. Szlichtyn S. R. M. Typ.
A. D. 1784.

PARTITIO
TOTIUS OPERIS.

Quatuor partibus Dissertationem hanc absolvam. Prima mores referet Christianorum Hierosolymæ degentium usque ad urbis hujus su Vespasiano excidium. Primus iste Christianismi status etsi perexigui spatio temporis circumscriptus fuit; meretur tamen ob insignem suam perfectionem separatim ab aliis considerari. Altera pars tria Ecclesiæ prima sæcula complectetur, tyrannorum vexationibus famosa. Tertia imaginem proponet Ecclesiæ, a sæculo Christi quarto pace ac libertate publica fruentis. Postrema Dissertationis pars causas afferet mutationum ac vicissitudinum, quæ in Ecclesia Christiana subinde acciderunt.

PARS I.

CAPUT UNICUM.

Ecclesia Christi Hierosolymitana.

Religio Christiana quemadmodum divino planè non humano consilio & virtute fundata fuit; ita initio statim sui ortûs undequaque perfecta extitit, perinde ac rerum ista universitas simul atque a Deo procreata fuit, valde bona, id est, numeris omnibus absoluta pr[illegible]diit. Nec quisquam nisi per summum errorem opinetur, in rebus, quæ ad mores vitamque recte componendam pertinent, subsecutis temporibus utilius aliquid, sapientius atque sublimius excogitatum fuisse, quam quod Redemptor noster primum Apostolos suos, Apostoli vero deinceps primos Christianos docuere. Quanquam hæc ipsa Evangelii tam excellens doctrina pro diversa animorum habitudine, & gratiæ dispari mensurá diversos item effectus in animis mortalium produxit. Nam ad Israelitas quod attinet, veros illos quidem ac genuinos, ipsa veri Dei notitia & legis antiquæ observantia, quâ inde a teneris annis imbuti erant, præsertim Majorum traditione, & SS. Scripturarum lectione accedentibus, ipsos proximè expeditos reddebant ad Evangelicam legem quam perfectissi-

ctissimé observandam, ubi primum illius perfectionem ritè edocti essent, intelligerentque, quodnam regni genus, quæ salus & libertas esset, a Messia sibi afferenda. Longe operosius erat, ad hanc Novæ Legis perfectionem Gentiles adducere, qui ad id usque temporis *sine Deo & lege* vixerant, ul- *Ephes.*
tro se passi pecudum more duci ad *simula-* *2. v.*
cra muta, solitique in cœno flagitiorum omni- *12. 1.*
um sese volutare. Igitur a Christianis Hie- *ad Cor.*
rosolymitanæ Ecclesiæ petendum nobis ante *12. v.*
omnia exemplum est, ac prototypon vitæ *2.*
illius, qua perfectiorem, & quod hinc consequens est, beatiorem in terris frustra requiras.

Eam vero S. Lucás describit in hæc verba: *Erant perseverantes in doctrina Apo* *Act 2.*
stolorum, & communicatione fractionis pa *v 42.*
nis, & orationibus. Paulo post ista subjun
git: *Omnes etiam, qui credebant, erant pa* *Ibid v.*
riter, & habebant omnia communia. Posses *44.*
siones & substantías vendebant, & divide *&c.*
bant illa omnibus, prout cuique opus erat, quotidie quoque perdurantes unanimiter in templo, & frangentes circa domos panem, sumebant cibum cum exultatione & simplicitáte cordis, collaudantes Deum & habentes *Act 4.*
gratiam ad omnem plebem. Et alibi: *Multi* *vel*
tudinis, ait, *credentium erat cor unum &* *32.*
anima una, nec quisquam eorum, quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat; sed erant

illis

illis omnia communia .... Neque quisquam egens erat inter illos. Quotquot enim possessores agrorum aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum quæ vendebant; & ponebant ante pedes Apostolorum. Dividebatur autem singulis, prout cuique opus erat. Denique alio in loco hæc habet:

Act. 5 v. 12 *Per manus Apostolorum fiebant signa & prodigia multa in plebe. & erant unanimiter omnes in porticu Salomonis, cæterorum autem nemo audebat se conjungere illis: sed magnificabat eos populus. Magis autem augebatur credentium in Domino multitudo virorum ac mulierum.*

Summa perfectionis Christianorum hactenus descriptæ erat catechesis, oratio, Eucharistiæ usus, animorum conjunctio, bonorum temporalium communio, gaudium interius exteriúsque, reverentia demum, existimatio & amor universi populi. Constabat Ecclesia hominibus cujuscunque ætatis & ordinis, ac utriusque sexùs, brevissimoque tempore mirum in modum ádolescebat. Siquidem unius Petri gemina prædicatióne hominum facile octo millia Christo nomen dederunt, quem ad numerum novam indies recens conversorum accessionem factam fuisse, non uno loco acta Apostolorum perhibent: Erant isti novelli Fideles maximàm partem matrimonio juncti; nam perfectæ continentiæ rara ad eam diem exempla extabant. Ad-

Adhæc privatis ædibus inter ſeſe diſcreti habitabant; hoc enim S Lucas indicare voluit, cum ſcripſit, ipſos fregiſſe circá domos panem, hoc eſt: in ſuiſmet ædibus Chriſti corpus conſecraſse ac diſtribuiſse. In communi tamen omnes vivebant, bonis, quæ quiſque poſsideret, divenditis; pecuniam vero ex eorum venditione redactam primum quidem Apoſtoli, deinde ſeptem Diáconi tanta fide & prudentia diſpertiebantur, nemo ut in illa multitudine inops eſset.

Atque hæc erat inſignis illa & opere ipſo luculenter expreſsa idea æqualitatis bonorum vitæque perfecte ſocialis forma, quam antiqui Legislatores ac Philoſophi ſtatuebant eſse certiſsimam ad felicitatem viam; etſi eandem reipſa conſequi nequicquam ad laborarint. Huc ſpectábat lex illi Minois, publicas in Creta inſula menſas inſtrui jubentis; huc Lycurgi collimabant edicta, quidlibet agentis, ut divitias & luxum e Lacedæmonia proſcriberet. Denique modum hac in re prætergreſsus Plato, dum omnia voluit eſse communia, familias ipſas, ſublato earum diſcrimine, exæquari inter ſeſe voluit. Intelligebant iſti nimirum; ad ineundam vitæ perfectam ſocietatem inprimis opus eſse, ut e medio tollántur *meum* & *tuum*, atque privatorum commodorum reſpectus procul arceantur: hoc illi pœnárum metu extorquere, hoc ratiocinando perſuadere hominibus fruſtrá conati ſunt; ſolius

Ariſt. polit. lib. 2.

enim

enim divinæ per Christum gratiæ opus id futurum erat, utpote quæ sola flectere hominum voluntates, & naturæ corruptionem sanare valet.

Igitur terrenorum bonorum inter primos Christianos communio haud ex alio fonte, quam ex charitate manavit; hac inter se juncti Fideles, fratrum adinstar in unam quodammodo familiam coaluere, in qua eadem ex penu liberi omnes ab uno eodemque Patre aluntur; qui cum singulos ex equo diligat, nemini quidquam deesse patitur. Nimirum ob oculos perpetuo versabatur præceptum illud mutuæ fraternæque dilectionis; a JESU Christo, cum persæpe alias, tum in nocte, quæ passionem ipsius proxime præcessit, gravibus verbis inculcatum, ut adoditerte diceret: *In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis si dilectionem habueritis ad invicem.* Porro ad vendenda bona sua eosdem aliud Christi præceptum induxit, quo nos jubet renunciare omnibus, quæ quisque possidet. Hánc illi legem observare statuerunt non tantum animi promptitudine; nam eatenus Christiani omnes eadem tenentur; sed re etiam, ipsa & operis executione implere illam decreverunt, secuti Redemptoris consilium: *si vis perfectus esse, váde, & vende, quæ habes, & da pauperibus .... & vení sequere me.* Securiores enim sumus, animis ea non adhærescere, quæ re ipsa iam dimisimus, quam quæ adhuc possidemus.

Joan: 13. v. 35.

Matth. 19. v 21.

Præ-

Præterea non ignorabant Fideles celebrem Christi vaticinationem de urbe Hierosolymitana, antequám *generatio hæc præteriret*, id est: sua adhuc ætate funditus evertenda. Quare ultro abjicere voluenrunt, quicquid animum affigere infelicissimæ urbi ac regioni poterat, cui tam certa vastitas & ruina immineret.

Erát igitur hæc vitæ communis ratio Christianorum Ecclesiæ Hierosolymitanæ propria, maximeque illis & personis & temporibus accommodatá. Nam si humanis rem istam rationibus exigas, fieri vix potuit, ut diu admodum staret hominum tanta multitudo nullis certis reditibus & bonis constabilita. Sane illám ipsam Ecclesiam Hierosolymitanám aliarum Ecclesiarum ope frequenter indiguisse; multaque & magna pecuniæ subsidia eidem reliquis e provinciis submissa fuisse, ex *Actis* Apostolorum & Epistolis D Pauli perspicuum fit. Et tamen S. *Chrysostomus*, qui tanto post tempore floruit, non dubitavit, hoc vitæ communis institutum sui temporis Fidelibus proponere tanquam exemplum imitabile, mediumque efficax addúcendi ad Christum quoscunque infideles Credere fas est, Sanctos illos Hierosolymis operátos mánibus suis fuisse. Christi Domini & Apostolorum imitatione; cur enim hanc quoque perfectionis partem illis negemus, qui perfectissima quæque consectati sunt, præsertim cum hac ratione defe-

Act. 24. *v.* 17 1. *Cor.* 16. *v.* 3. *Chrys. hom.* 11 *in Acta.*

ctum

ctum proventuum magna ex parte supplere possent ?

Supra demonstratum est, Fideles perseverasse in doctrina Apostolorum; iidemque *Discipuli* persæpe appellantur, quibus verbis significatur, ipsos quæ ad salutem scitu factuque necessaria essent flagranti studio addidicisse, partim Apostolos audiendo; qui, quæ ipsi a Divino Præceptore suo didicerant, nunc publice, nunc privatis in congressibus assidue explanabant; partim lectitando sacras literas, deque iisdem inter se mutua collatione agendo. Dicuntur etiam perseveráse unanimiter in oratione: ascendisse quotidie in templum, & in porticu Salomonis orandi causa convenisse. Accedit Sanctorum Petri & Joannis exemplum, qui

Act. 3. *ascendebant in templum ad horam orationis nonam*; quæ res verosimile reddit, tunc

Baron. temporis observatás jam fuisse statas precū

an. 34 horas, quas postmodum Ecclesia Christiana

num. constanter & perpetuo complexa est Demum

CCL. vitæ ratio exterior Christianis initio cum

&c. Judæis communis erat, eademque utriusque sacrificiorum & ceremoniarum ántiquæ legis observatio: qui mos non nisi cum Tem-

Actor. plo ipso Hierosolymitano abolitus tandem

21. *v.* fuit; & hoc erát, quemadmodum patres lo-

26. qui solebant. *sepelire Synagogam cum honore.*

Secundum orationem Scriptura sacra mentionem facit *fractionis panis*; quo nomine

in Actis, uti sæpe alibi in Novo Testamento, Eucharistia intelligitur. Augustum hoc Mysterium nequaquam in Templo frequentabátur, ubi non satis liberum erat religionis exercitium, & Judæis insuper mixti Christiani; sed privatis in ædibus, ubi soli Fideles aderant, usurpari solebat. Eucharistiam tunc, uti olim victimas & sacrificia pacifica, convivium excipiebat, a charitate *Agape* dictum, cujus usus diu inter Christianos viguit. Hoc genus epularum, uti eadem Acta commemorant, celebrabatur cum *exultatione*, & *simplicitate cordis*; reverá enim parvulis quam simillimi Fideles erant animi cándore & demissione; cumque divitias & spes sæculi caducas sponte sua abjecissent; liberi ac soluti vivebant fomentis cupiditatum, & curis hujus vitæ supervacuis, sola cœlestium bonorum exspectatione, regnique Christi, quod propediem affuturum credebant, dulci desiderio se sustentantes. Jám si nos paucula hæc, quæ de primis ilis Christiánis sacræ litteræ testantur, sine admiratione legere non possumus; nihil mirum videri debet, ab hominibus, qui ista & istis majora coram spectarent, talem tantumque cœtum in amore juxtá & honore habitum fuisse.

PARS

****

PARS II.

Ecclesia Christi persecutionibus exagitata.

CAPUT I.

Gentilium ante suam conversionem status.

INterea temporis aliæ super alias passim succrescebant Fidelium congregationes ex Judæis & Gentilibus conflatæ, quæ licet infra summam illam Ecclesiæ Hierosolimitanæ perfectionem consisterent; non desinebant tamen prodigii, ad instar suspici ob insignem virtutis & sanctimoniæ splendorem, præcipue spectato Gentilium, in quo prius versabantur, statu. Solent fere in historiis peregrini homines sibi persuadere, mundum abhinc sedecim sæculis nostro longe dissimilem fuisse, hominesque tunc extitisse majori atque nunc integritate, innocentia & docilitate præditos, præsertim cum sæpe audiantur nonnullorum voces, mundum quotidie in deterius ruere lamentantium, extentque etiamnum vestigia quædam priscæ bonitatis & simplicitatis Maiorum nostrorum. Verum longe aliter hac de re sentiunt, quotquot Græcorum ac Romanorũ transmissa ad nos monumenta studiosius evolvunt.

vunt. Initium Evangelii prædicatio sumpsit Imperatoribus Claudio & Nerone: horum aulæ quantis, quamque infamibus vitiis sórderent, Tacitus locuples testis est; ejusdem sæculi mores perstringunt Horatius. Juvenalis, Martialis & Petronius. Isti omnes nefanda ejus sæculi crimina publice insectari non dubitarunt, eoquod publice illa perpetrare nemo veritus fuerit. Profecto non sine sapientissimo æternæ providentiæ consilio factum fuisse videtur, ut Auctorum ejusmódi libri, etsi cæteroquin in vulgus noxii & pestilentes, ad nostras manus pervenerint, quo nimirum ex iis disceremus, quanta ex abysso depravationis & corruptelæ JESUS Christus humanum genus extraxerit. Eandem temporum improbitatem confirmant in suis libris Suetonius, Auctoresque Historiæ Augustæ, qui duo proxime secuta sæcula describunt, Apulejus item & Lucianus, verbo, quotquot de moribus peculiariter disserunt. Ipsi adeo Patres Ecclesiæ temperare sibi non *Aug.*
poterant, quin vocem ac stylum in eorum *l. 1. de*
temporum mores acerrime & palam stringe *Civ. c.*
rent, quos inter præcipui fuere S. Augusti- *4. &c.*
nus, Tertulianus, SS Cyprianus & Clemens *Ter-*
Alexandrinus; quorum scripta, qui attento *tull.*
animo perlegat, mirari, credo, desinet, po *Apolog*
tuisse ab Apostolo initio suæ ad Romanos e- *adv.*
pistolæ catalogum pertexi eorum criminum, *Gent.*
quibus nihil infamius, nihil horribilius co- *c. 6.*
gitari possit.

Cypria Tam perditi mores ex Græcia, Ægypto
ep. 1. & Oriente ad Romanos fluxerunt. Unum
ad Do· Aristophanem legat qui Græcorum effusam
nat. licentiam perspicere volet. Porro tantū
Clém. abest, ut post Aristophanis tempora meliores
Alex. effecti sint Græci, ut nova indies incremen-
*Pædag.*ta luxus & mollities caperent. Jam de Ma-
l. 2. cedoniæ, Ægypti & Syriæ Regibus quæ monstra flagitiorum Scriptores antiqui memoriæ non prodiderunt? Quam parum honorifica posterorum judicia de Alexandria, de Antiochia & Corintho? Quam famosæ effœminatissimo vitæ genere Jonii, Asiæque minoris civitates? & tamen has inter sordes purissima Christi Religio effloruit, inque pessimis civitatibus optimi Christianorum cœtus extiterunt. Neque solum universo Romanorum Imperio communis erat tanta morum perversitas, sed etiam publica omnibusque perspecta, imo religionis quodam obtentu veluti sacrosancta habebatur. Norunt eruditi, quid sibi voluerint ritus nefandi in sacrificiis Bacchi & Cybeles adhiberi soliti. Ubique Veneres, Adonides, Ganymedes, ubique Jovis furta & Metamorphoses prostabant: nullus hortus suo Priapo carebat: nullus locus Deorum decantatis amoribus non personabat: Spectacula ipsa maximam partem aut crudelia, aut impura edebantur.

Ludorum genus uti frequentissimum, ita populo Romano maxime jucundum erant hominum in amphitheatris miserandæ cædes,

nunc

nunc infeſtis armis mutuo ſeſe appetentium, nunc a beſtiis, cum quibus pugnam committebant, fœdum in modum dilaniatorũ. Quotidie ſervi & mancipia equuleis addicebantur, leviſſimas ob culpas attrocibus tormentis afficiendi. Præſides Provinciarum in eos qui cives Romani non eſſent, crudeliter animadvertebant Imperatores ipſi nulla iudicii ſervata legitima forma, quos vellent, capite damnabant, hinc tantum Patritii etiam ſanguinis in Urbe effuſum fuit. Par crudelitati avaritia erat. Omnia plena fraudibus mendaciis, perjuriis, violentis oppreſſionibus. Argumento eſſe poſſunt ſolæ Ciceronis orationes. Sane ſi Verres unus homo, quo tempore Roma adhucdum Reſpublica fuit, in una duntaxat provincia, triumque non amplius annorum curriculo tot crimina perpetravit; quid non auſuri erant ſub Nerone aut Domitiano Præfecti & Præſides Provinciarum complures, quibus præterquam quod ne accuſari quidem ultra metuerent, ipſa etiam Imperatorum exempla peccandi impunitantem ac ſtimulum afferebant? Sed vereor, ne longior ſim in re nota omnibus & pervulgata. *Juven. Sat. 8.*

Ita fere comparati homines erant, ex quibus Christiani, quales nunc deſcribam, efficiebantur. Hi ubi ſemel *abluti & ſanctificati* eſſent, derepente in alios homines, ſibique plane diſſimiles evaſerunt. Quanquam non ſunt diſſimulandæ hoc loco quædam animo- *1. Cor. 6. v. 11.*

rum dotes, ac veluti semina bonæ mentis, quibus instructi Græcorum & Romanorum complures haud plane inepti regno Dei videbántur. Ac primo quidem moribus, quoad hi exterius sese proderent, perpoliti erant, qua re una multa continentur, quæ etsi virtutes non sint, virtutum tamen imagines nominari recte possunt. Hujusmodi erant gravitas, tolerantia, lepos, affabilitas in colloquendo, in gratificando alacritas, & reverentiæ atque amoris teneræ vividæque significationes; denique lux quædam urbanitatis ac decentiæ, quam in omni actione sua Greci consectabantur. Sunt ista quidem natura sua talia, quæ haberi sine solida virtute possunt, & quibus qui careat, non continuo malus aut vitiosus est; attamen a perfectá virtute nunquam abesse solent, quippe quam exterior ille cultus & splendor amabiliorem reddit, ut virtus ipsa blandius se in animos hominum insinuet. Abhæc abundabant illa tempora veris ac genuinis Philosophis, hominibus, inquam, qui id unice ac serio spectabant, in id tota animi contentione incumbebant, ut invenirent, quo sibi beate vivere liceret; horum omne studium in eo versabatur, ut veritatem agnoscerent, agnitasque virtutes opere ipso exercerent. Ut huic studio ut liberius vacarent, cæteris sese negotiis curisque omnibus, quæ ex arbitrio fortunæ pendent, ultro expediebant, nec sumptibus ullis, nec

Recognit. Clem. init. Justin. in Tryphon. init.

labo-

labori molestisque itinerum & peregrinationum parcentes, dummodo quod ipsi optimum judicarent, aliquando tandem addiscerent. Sed neque Romani omnes per ea tempora usque adeo depravatis moribus erant, ut nihil admodum retinerent de prisca magnanimitate, constantia cæterisque virtutibus, quibus Majores ipsorum quondam insigniter floruerant.

Animis in hunc modum comparatis ubi primum Evangelii gratia illuxit, fieri non potuit, quin maximi presentesque fructus progignerentur. Testis ejus rei est Cornelius Centurio Romanus, primusque inter Ethnicos, cui is favor divinitus obtigit: testes Martyrum complures atque insigniores, ut SS. Laurentius, Vincentius & Sebastianus: testes denique Episcopi bene multi longeque celeberrimi, ut Cyprianus, Ambrosius, Leo, in quibus omnibus Romanæ generositatis expressa, atque eminens imago relucebat. Porro gravitatis illius, quæ Græciæ Philosophos tantopere commendabat, exempla nobis suppeditant Acta S. Polycarpi & S. Pionii Presbyteri Smyrnensis, ac S Clementis Alexandrini, quorum volumina præter reconditam eruditionem a styli elegantia mirum in modum commendantur. Compressa nimirum per Christianam humilitatem Romanorum feritate & Philosophorum fastu, veri tandem sapientes formari cœperunt, qui ubi semel fidei no-

ſtræ magiſterio didicerant, quis finis, quæ meta hominibus propoſita eſſet, ad hanc unam vitæ actiones omnes dirigebant. Tam egregie exculti, atque ad ſumma omnia a natura & inſtitutione facti formatique homines, ſimul atque a voluptatibus & lucri cupiditate abſtraxere animum, continuo etiám manſueti, faciles ſimpliceſque effecti ſunt, illo nimirum ſimplicitatis genere, quæ dolum omnem tanquam generoſo animo indignum averſatur.

Accedit, quod Religio Chriſtiana in ipſo Imperii atque adeo Urbis Romanæ meditullio tum temporis nata fuit & ſtabilita, cum Romanorum res maxime florerent, ſæculumque ageretur, quo nullum antea, ſi ingeniorum præſtantiam ſpectes, illuſtrius, nullum, ſi morum pravitatem attendas, inquinatius fuit; neque magis efferre ſe, ſuamque mortalibus divinam plane vim ac virtutem luculentius probare lex Evangelica potuit, quam cum de duabus ſibi maxime oppoſitis animorum diſpoſitionibus veluti de juratis hoſtibus quendam quaſi triumphum egit. Pugnabat enim cum ſimplicitáte legis Chriſtianæ fideique humilitáte multiplex ſcientia & mentis elatio; ejuſdem porro legis puritati & in genere morum ſeveritati ſumma ſæculi perverſitas cordiſque humani depravatio extreme adverſabantur: id quod animadvertere hoc loco neceſſe fuit, ne quiſquam ſibi perſuadeat,

deat, nonnisi cum indocta levissimeque credula multitudine Apostolis decertandum fuisse.

****

CAPUT II.

Institutio ad fidem, & Baptismus.

PRædicandi Evangelii ratio varia & multiplex erat pro diversa discentium indole. Judæi convincebantur ex libris Prophetarum aliisque argumentis e Vetere Instrumento & Traditionibus ipsorum petitis. Ethnici vero adducebantur rationum momentis, nunc planius magisque populariter, nunc subtilius doctiusque, ut cujusque ferebat ingenium, propositis ex authoritate cum Poetarum, tum Philosophorum inter ipsos Gentiles insignium. Utriusque generis homines prodigiorum frequentia & magnitudine commovebantur. Exempla tam variæ instructionis ex Actis Apostolorum multa suppetunt. De Deo rebusque divinis non prius agebatur, quam cum attentus & quietus auditor esset; quodsi forte, uti sæpe usuveniebat, in cachinnos solvi, aut contractiore vultu fastidii aliquid præsefer-re Infideles inciperent; illico Christiani ne profanationi verborumque impietati ansam darent, sermonem abrumperunt. Progre-

Ambros in Luc. 9. 21. *Actor. 2. 14. v. 3. 12. v. 13. 16 v. 14. 14. v. 17 &c. Clem. Recogn.*

1mo Just. in Tryph diente die libri vulgabantur nonnulli, ad demonstrandam falsæ Religionis inanitatem, atque ad deducendos a præjudiciis suis Infideles, conscripti; hujusmodi erant SS. Justini Martyris & Clementis Alexandrini Monita ad Gentiles. Sed nihil æque Christum Ethnicis persuasit, ac miraculorum copia, & Christianorum in vita probitas, in morte constantia.

Qui Christianis accenseri cupiebat, Episcopo sive Sacerdotum alicui sistebatur, qui continuo Candidatum examinabat, ut dispiceret, verane & sincera hominis vocatio esset. Non enim deerant impostores, qui per speciem amplectendæ fidei Fideles ipsos Tyrannis proderent. Aliunde vero metuendum erat, ne, nullo delectu habito, admitterentur homines varii atque inconstantes, qui prima quáque coorta tempestate, defectione sua Ecclesiæ fraudi & dedecori essent. Hac præmissa cautela Catechumenus accurate instituebatur fidei dogmatis, morumque præceptis, quibus disceret a suscepto baptismo christiane vivere. Hujusmodi institutiones morales sunt argumentum libri S Clementis Alexandrini. quas *Pædagogum* inscripsit.

Origen. cont Celsum. 2. in fin.

Posteaquam Episcopi judició sufficienter instructi tentatique erant Catechumeni, ab Episcopo ípsó salutaribus aquis tingebantur, & quidem in pervigilio Paschatis aut Pentecostes, si quidem integrum erat, certum

diem

diem huic rei statuere. Cæterum ubi pro xime imminens cœptave jam-jam perfecutio, vel alia urgens necessitas moram non ferebat, quovis anni tempore baptismus conferebatur. Hunc in finem fontes aliqui ex Ecclesiæ disciplina consecrabantur & Catechumenus, quo se melius disponeret, jejunare totum diem, ad quæsita respondere, & fidei suæ rationem reddere prius debebat. Statim a Baptismo Episcopus Confirmationis Sacramentum, deinde re divina peracta, Eucharistiam impertiebatur; denique lac & mel a se rite benedictum manducandum præbebat, quo intelligeret novus homo, tunc demum veram se Terram Promissionis, Christi videlicet Ecclesiam, intrasse. Liberis parentum Christianorum etiam ante usum rationis, imo ante octavum a nativitate diem, simul atque a parentibus offerebantur, baptismi copia fiebat, nominaque utpluri mum imponebantur, vel ab Apostolis derivata, vel certe talia, quæ pium aliquid redolerent. Adultorum vero nomina in baptismo non videntur in ali afuisse commutata; cum Sanctorum complures videamus falsorum Deorum nominibus composita retinuisse vocabula, cujusmodi erant nomina Dionysii sive Bacchi, Martini item & Demetrii, quo ultimo nomine Ceres appellabatur Recens baptizatis præsto erant cum sti, quorum opera ad sacrum fontem perdu-

Acta S. Corn. Pap. apud Baronẻ anno. 255. Acta S: Hippol & Euseb sup cit. Acta S. Steph. Pap.. apud Baron anno. 269 Acta Ss Susan apud Baron anno 249. S. Cyp. & Dion Alex. apud Eusebi l. 7. c. 20.

Sti

cti fuerant, tum vero Presbyteri, qui diu multumque in vitam & mores novorum Christianorum excubabant, ut ipsos in bene cœptis magis magisque confirmarent, atque perficerent.

CAPUT III.

Vita novorum Christianorum, & speciatim precandi ratio.

VItam igitur novelli Fideles ordiebantur plane novam, internam atque ad rationes cœlestes pœnitus exactam. Prima ipsorum ac præcipua occupatio ea fuit, quam principe loco Apostolus commendat, fervens inquam oratio; istam cum *sine intermissione* fieri idem Apostolus ex Christi præcepto velit, nihil non agebant Christiani, ut ferme continens esset, neque nisi brevissimo tempore interrupta precatio, rerumque commentatio divinarum In communi, quoad licebat, preces fundebant, probe gnari, eo plus efficaciæ ad obtinenda Dei dona habere orationem, quo major in terris ad comprecandum multitudo conspiraret, ipsomet Christo Domino id asserverante: *Si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re, quamcunque petierint, fiet illis a Patre meo, qui in cælis est. Ubi enim sunt duo vel tres congregati in nomino meo, ibi sum in medio eorum*

1. *ad Tim.* 2. *v.* 18.
1. *Thess.* 5. *v.* 17.
S. Igna ep. ad Ephes & alibi.
Matth. 18. *vv.* 19. & 20.

eorum. Præterquam quod præsentia Pastoris major precibus authoritas accedat, & congregatorum in orando fervor ac modestia devotionem mutuis exemplis soleat incendere.

Publicæ preces, quibus maxime frequens populus intererat, eæ potissimum fuere, quæ mane & vesperi persolvebantur, quasque Catholici nos *Laudes* & *Vesperas* hodieque nominamus. Admonebantur Fideles, ut diei exordium juxta ac finem Deo consecrarent, caverentque ab hac pia occupatione sese eximere terrenorum ob tentu negotiorum, ut quæ servire solum spiritualibus & in postremis curis haberi a Christiano debeant. Preces illæ matutinæ, quas nos *Laudes* appellamus; eo quod ad laudandum sacris carminibus Deum pertineant, videntur subrogatæ fuisse in locum sacrificii matutini Antiquæ Legis, & inter nobiliores divinæ psalmodiæ partes jure merito numerari debent, id quod demonstrant commemorationes Sanctorum, cereorum ardentium & Incensi usus in iis adhiberi solitus. Porro Vesperæ nostræ sacrificio vespertino successerunt, spectantque ad nocturnum tempus pie sancteque auspicandum. Eædem quandoque *lucernarium* appellabantur, quod sub id tempus lucernæ accendi inciperent, & nos hodiedum hymnos aliquot in Vesperis cantamus ✠, qui lampadum & cœnæ men-

Const. Apost. 2 c. 59.

mentionem faciunt. Qui ad publicas preces convenire non poterant, ut ægroti, captivi & in itinere constituti, privatis in congressibus, quanti quanti erant, sacrum illud pensum Deo exsolvebant; imo vel cum soli agerent, non cessabant sua orationi destinata tempora impenderet.

Baron. an. 34.

Etenim præter matutinum ac vespertinum tempus horis diei tertia, sexta & nona, denique concubia nocte precationi vacabatur; id quod Tertulianus, S. Cyprianus & S. Athanasius non modo diserte affirmant; verum etiam rationibus atque exemplis è Vetere & Novo Testamento adductis: neque auctoritate neque arcana plenaque mysteriis significatione carere eam precandi consuetudinem ostendunt. Horæ istæ numerabantur ex more Romanorum, qui diem tum ab ortu solis ad occasum dividebant in duodecim horas inter se quidem æquales, sed tamen pro dierum longitudine aut brevitate nunc majore nunc minore spatio definitas. Duodecim item horis & quatuor partibus, quarum quælibet tres horas explebat, nocturnum tempus includebatur. Quatuor istæ noctis partes *Vigiliæ* sive *Stationes* nominabantur: quatuor

Tertu. advers Psych. c. 10. Cypria de orat Dom. Athan. de Virg. adde S. Hieron ad Eustoch. de custodia virgin. Tom. I.

✠ O Lux beata Trinitas &c, Lucis Creator optime &c. Creator alme siderum &c. Vergente mundi vespere &c. Ad cœnam Agni &c.

quor enim vicibus mutari belli tempore excubiæ solebant. A diebus æquinoctialibus exemplum cape: ab hora apud nos sexta matutina usque ad septimam *Prima* nominabatur; quæ nona nobis est, ipsis *Tertia* erat: quæ nobis duodecima, apud ipsos *Sexta* numerabatur; porro quam nos horam a meridie tertiam nominamus, ipsi *Nonam* dicebant; demque hora apud nos sexta vespertina ipsis *Duodecima* seu *Vesperæ* audiebant; ut adeo quavis diei tertia quaque hora orationes ad Deum funderentur.

Præterea nocturno tempore imo dimidia nocte surgebatur ad confitendum Domino, exemplo Davidis in suis psalmis, & *Psal.*
Sancti Pauli ac Silæ, qui virgis prius cæsi, 118.
tum in interiorem carcerem compacti *me- v 62.*
dianocte orantes laudabant Deum. Agit *Act.16*
de hac nocturna prece Tertullianus, & *v. 25.*
multis eam Sanctus Cyprianus commendat; eandem orandi nocturno tempore consvetudinem Patres omnes vehementer probant, velut aptissimam ad castigandum corpus, animumque per noctis silentium ad divinas res erigendum. Adhæc admonebantur Fideles; ut noctis minimas etiam partes, quas forte insomnes ducerent, bene utiliterque collocarent psalmorum sive Dominicæ orationis pia meditatione. Symboli quoque usus inculcabatur, appetente die & quolibet ingruente periculo recitandi.

Ad

Ad extremum iidem, quo frequentius Deum cogitarent, cumque ipso, quantum mortalibus fas est, assidue ac perpetuo agerent, quamlibet actionem peculiari precatione veluti condiebant. Seu domi, seu in ágro faciendum opus esset, laboris initium & finis oratio erat; sine ista nec ædes ædificari, nec primum incoli cœptæ, neque nisi præmissa oratione ad texendum pannum, ad vestem concinnandam, corporive accommodandam, verbo, ad quamcunque licet obviam & usitatam occupationem sese conferebant. Juvat hic audire S. Hieronymum, qui in Epistola, qua Marcellam ad rus Bethlehemiticum invitat, ita loquitur: *Quocunque te veteris, arator stivam tenens Alleluja decantat: sudans messor psalmis se avocat, & curva attondens vites falce vinitor aliquid Davidicum canit. Hæc sunt in provincia carmina, hæ, ut vulgo dicitur, amatoriæ cantiones.*

Tom. I. Ep. ad Marcell. fin.

Idem de domesticis occupationibus in eandem sententiam alibi ista scribit: *Nec cibi sumantur, nisi oratione præmissa, nec recedatur a mensa, nisi referatur Creatori gratia.... egredientes de hospitio armet oratio; regredientibus de platea oratio recurrat antequam sessio; nec prius corpusculum requiescat, quam anima pascatur.* Exempla ejusmodi precum varia videre est in variis benedicendi formulis, quæ

Ep. ad Eustoch. de Custod. Virg.

in

in Ritualibus hodiedum extant. Salutatio *Chryſ.*
nes initio literarum, & in fortuito mutuo- *hom.*
que occurſu adhibitæ, præter amicitiæ *5. in*
ſignificationem aliquid piæ precationis con- *Ep ad*
tinebant. Crucis ſigno tanquam compen- *Theſ.*
diariá formula bene precandi adminimá quæ
que utebantur. Eo frontem ſuam identi *Tertul.*
dem & in momenta prope ſingula munie- *de Cor.*
bant, videlicet quoties egredi domo, aut *c. 3.*
eodem reverti, aut naturæ neceſſitatibus *S. Cyp.*
in capiendo cibo & quiete ſatisfieri, aut
demum alia id genus curari, agique ne *Hier.*
ceſſe foret. *Ad omnem actum*, inquit Hie- *Ep. ad*
ronymus, *ad omnem inceſſum manus pin- Euſtoch*
gat crucem. *ubi ſup*

CAPUT IV.

Studium ſacrarum Scripturarum.

PRecum hactenus deſcriptarum veluti corpus ex pſalmis ſemper conſtabat, qui diſerte & graviter recitati mirum quantum ad inſtituendos homines faciebant. Compendio enim referunt, quidquid ſacris codicibus continetur, normamque præbent eorum dictáminum, quæ tenere & ſequi in variis humanæ vitæ conditionibus probus Chriſtianus debeat. Cum pſalmis aliorum ſacrorum Codicum lectio nunquam non conjungebatur, ex qua *Capitula*, ut nos loqui ſolemus, in Horis Officii Sacerdota-

lis

lis originem suam duxere. Nocturnæ preces uti prolixiores erant, ita plus sacræ lectionis continebant; & qvoniam Missæ Sacrificium in toto divino officio primatum tenet, plurima hoc etiam suppeditabat, quæ ad instituendos Fideles pertinebant. Nullæ scripturæ pro divinis lectitabantur, præterquam eæ, quæ in *Canone* haberentur, id est, quæ Ecclesiæ perpetuâ traditione veluti publica auctoritate insignes & probatæ essent. *Apocrypha*, sive quod idem significat, occulta & incerta nominabantur ea, quæ adjungere privatus aliquis conabatur.

Erat igitur Ecclesia Dei non solum Domus orationis, verum etiam schola salutis. Evangelia cæterosque sacros Codices Episcopi exponebant assiduitate nihilo minore, quam Professores Ss. Litterarum assolent, auctoritate vero longe etiam majore; ex qvo factum fuit, ut Doctoris nomen fere solis Episcopis ab Antiquis Scriptoribus tribueretur. *Docebant* autem *publice & per domos*, quemadmodum Apostolus loquitur: docendi porro methodum cuicurque statui accommodabant, uti in Epistolis ad Titum & Timotheum observatum cernimus. Illud maxime cavebant, sequid suomet ingenio excogitarent, ac veluti de suo in medium afferrent; sed de privatis habebant, bona fide retulisse, quidquid ipsi a Patribus suis spiritualibus, hoc est,

Act. 20. v. 20.
S Ign. Ep. ad Poly- carp Ter tull. de præ script.

est, ab antiquioribus se Episcopis & Presbyteris accepissent. Traditione usque ad tempora Apostolorum nunquam interrupta. Iidem Episcopi Fidelium animos imbuebant ingenti odio quarumcunque novitatum, præsertim in doctrina fidei, ut adeo, siqui forte Christianorum contraria suæ fidei dogmata proponi audirent, ii obturatis ambabus auribus e vestigio fugam arriperent, nihil solliciti de refutandis erroribus, quippe quam curam Pastoribus suis integram relinquerent. Ea res fecit, ut hæresum multæ per priora sæcula excitatæ sine Conciliis, sine judiciorum celebritate condemnarentur. Etenim Pastores omnes Traditionibus Apostolorum, populus autem universus doctrinæ Pastorum admirabili cum sententiarum, tum voluntatum consensione inhærebant. Adhæc Fideles pro se quisque divinæ Legis studio vacabant, eamque diu noctuque vigili cura meditabantur. Domum reversi, quæ in Ecclesiis audierant, ipsi relegebant, & familiari de iisdem rebus inter sese collato sermone Pastorum explanationem memoriæ mandabant. Imprimis vero Patresfamilias hoc genus privatæ repetitionis domi suæ diligenter curabant, erantque singuli eorum quasi totidem peculiares Pastores, qui precationi & lectioni domesticæ præerant, qui conjugem, liberos, famulosque erudiebant, & ut erant ipsi Me-

S. Clem. Alex. strom. 1. init.

Ignat. Ep. ad Trall.

Constit. Apost. 4. c. 19.

de-

deratoribus Ecclesiæ addictissimi, ita suos etiam in officio & obedientia Ecclesiæ debita continebant. Tam laudabilem Patrum de suis familiaribus curam ex eo haud obscure probare licet, quod in tota retro antiquitate ne vestigium quidem extet alicujus Catechismi in usus parvulorum conscripti, aut alterius cujusdam publicæ instructionis, quæ baptizatis parvulis, qui rationis necdum plene compotes erant, usui esse posset. Erant tunc nimirum, Divo
Chrys. Chrysostomo teste, privatæ ædes veluti to-
Hom. tidem Ecclesiæ.
36 in Multos videre erat etiam laicorum, qui
Ep. ad sacras literas memoria tenerent; adeo in
Cor. iisdem persolvendis erant assidui. Easdem secum fere gestabant, multique Sanctorum reperti sunt, qui cum Evangelio supra pectus collocato terræ mandati fuerant. Fœminis etiam familiaris sacra lectio fuit. Cujus rei præclarum exemplum habemus in Actis Sanctarum Martyrum Agapes, Chi-
Baron. oniæ & Irenes, quæ cum Diocletiani sævi-
ad An. ente in Christianos furore, domum cum
304. desertis montibus & cavernis commutare
n. 46 cogerentur, charis omnibus libenter relictis, ea re sola *magnopere angebantur*, quod prohibitæ domo secum efferre divinos Codices, *non possent noctu & die illis operam dare, sicut a principio consveverant.* Episcoporum etiam & Presbyterorum scripta ut quæque celeberrima erant, & judicio

Eccle-

Ecclesiæ approbata, ita a Christianis diligentissime perlegebantur. Sed rara ad eum diem scripta erant. Etenim conscribendi volumina neque otium neque stimulum Episcopi tunc habebant, gravioribus distenti curis, & ab omni gloriæ humanæ cupiditate alienissimi; præterquám quod metuerent; editis in lucem publicam libris, qui in omnium manus facile incidunt, mysteria Religionis temere evulgare.

Prohibita Fidelibus erat lectio librorũ gentilium, utpote qui nondum bene confirmatis in fide sæpe ad nocendum apti alias vero inutiles forent. *Nam quid in lege Dei desideras*, inquit Antiqvus Scriptor, *ut ad illa Gentilium scripta animum velis appellere? sive enim historias legere cupis, habes libros de Regibus; sive sophistica, id est, quæ argute ad sapientiam referuntur, & poetica; habes Prophetas, Job, & Proverbia, in quibus plus acuminis, quam in omni poesi & sapientia Sophistarum reperies, quod is, qui solus sapiens est, illa effatus est: sive catilenas exceptis, habes psalmos: sive vetustas rerum origines, habes Genesim: sive leges & præcepta, habes legem Domini celebrem.* Episcopi tamen & Presbyteri profana volumina lectitabant; indeque veluti ex hostico arma petebant, ad gentilium superstitiones propriis ipsorum telis, Philosophorum inquam & Poetarum Ethnicorum auctoritate configendas: cumque

Constit. Apost. 1mo cap. 6.

Clem. Alex. Strom. Sciemque discipulos sese profitebentur Verbi divini ac Primæ Veritatis, nihil antiqvius habebant, quam ut veritates omnes, ubi ubi eas reperirent, toto animo complecterentur.

CAPUT V.

Officia, opificia, & consvetæ occupationes Christianorum.

DIvitibus potissimum assidua Scripturarum lectio commendabatur, quo curiositatem & otium, geminas virtutis pestes a se arcerent. Reliqui Fidelium opificia exercebant, ut se ipsi commode sustentare, satisfacere creditoribus, & stipem indigentibus errogare valerent. (Constit. Ap. 1. cap. 4.) Opificia porro ejusmodi deligebant sibi, quæ & essent maxime innocua, & a strepitu fastuque Christianos quam longissime prohiberent. Multi cæteroquin abundantes, præsertim persecutionis fervente æstu, voluntariam paupertatem amplexi sunt, fortunis omnibus in pauperes distributis, eaque re ad martyrium rite subeundum se comparabant: non pauci etiam, etsi divites essent, labori manuum intenti erant, desidiæ vitandæ causâ. (2. Thess. 3. v. 6 Constit. Ap. l. 4. l. 2. c. ult.) Nam cætera inter vitia otium imprimis a Christianis proscriptum erat. & quæ otii comites individuæ solent esse, animæ nimirum inquietudo,

tudo, curiositas, convitiandi libertas, otiosæ circumcursitationes, supervacaæ salutationes, ac demum alienæ vitæ censoria observatio. Ex adverso admonebantur Fideles ut in quiete ac silentio se continerent, cum aliis honestis negotiis, tum operibus maxime charitatis occupati, quibus infirmos, mendicos, aliterque sua ope indigentes sublevarent

Clem. Alex. pædag. 3. c. 10.

Tota igitur Christianorum vita oratione, lectione, & manuum labore constabat, ferme nunquam interrupta serie, sibi succedentibus quoad per necessarias sustentandæ vitæ curas licebat. Quidquid negotii præ manibus haberent, id omne salutis suæ negotio postponebant, veluti negotiorum omnium principi, maximeque digno, in quo curando vita omnis collocetur. Hoc agebant & profitebantur universi, ut Christiani nomine ac re essent; alios titulos extra istum aucupabantur nullos; interogati etiam a Judicibus, qui nam, undeve essent, quid nominis, quid officii haberent, breviter ad omnia respondebant: *Christianus sum.* Omnium instar exemplo esse potest Diaconus ille SANCTUS nomine, de quo Eusebius in hæc verba: *Cum scelerati carnifices propter assiduitatem & magnitudinem tormentorum, quæ ei instigebant, sperarent se aliquid, quod indecorum & eius professioni parum consentaneum videretur, ab eo audituros;*

Constit. Ap. l 2. c 61. & 63.

Euseb. Hist. Eccl. lib. 5. c. 1. in Ep. Vien. Eccl.

Ipse tanta animi celsitate & constantia ex adverso restitit, ut ne nomen quidem suum vel gentis vel civitatis, unde fuit, neque utrum servus vel liber esset, illis vellet dicere; sed ad omnia rogata ita latino sermone responderet: Christianus sum, *istuque pro nomine, pro civitate, pro genere & denique pro re quacunque iterum ac sæpius eloqueretur: aliam autem vocem Gentiles ab eo elicere non poterant.*

Orig. cont. Cels. 8 in fine. Abhorrebant porro ab illis artibus vitæque institutis, quæ animum plus justo avocant implicantque, cujusmodi sunt mercatura, causarum forensium procurationes, & Magistratuum munerumque publicorum administratio. Nihilo tamen minus in officio, quod ante susceptum Baptisma gerebant, dummodo id Christianæ legi non adversaretur, persistebant. Sane constat; militum neminem, qui Christo auctoratus fuit, ad deserenda profana castra fuisse compulsum; solummodo Evangelii præceptum illis inculcabatur, ut suis contenti stipendiis nihil per vim malumvè dolum ab hominibus extorquerent. Et fuisse ingentem Christianorum militum numerum, testantur duæ integræ legiones, altera *Fulminatrix* sub Marco Aurelio, *Thebæa* altera, quæ tota una cum Tribuno suo Mauritio mortem pro Christo fortiter oppetiit. Vigebat etiamtum apud Romanos militaris disciplina, cujus præcipuæ

1. Cor. 7. v. 20.

Tertul. de Coron milit. c. 11. Luc. 3. v. 4

Tertul. Apol. c. 37.

Acta.

cipuæ partes erant frugalitas, obedientia, tolerantia & laborandi assiduitas; quæ omnes ipsis etiam Christianis familiáres erant virtutes. Quandoque tamen studio se defugiebant recentes Christiani militiæ nomen dare, imo eandem deserebant, veriti, nequa superstitionum labe inficerentur, vescendo victimarum carnibus, signa militaria idolorum figuris distincta venerando, per Genium Imperatoris dejerando, aut florum sertis in profanis & militaribus festis capita coronando.

MM. Theb. Ap. Baron. an. 297. Acta S. Marcelli Centur. ap Bar. an. 298. Tertull. de Coron.

CAPUT VI.

Jejunia Christianorum.

JEjuniorum apud Christianos per id tempus frequens usus erat, Christo Domino id vaticinante, cum diceret, futurum aliquando, ut, Magistro ex oculis sublato, Discipuli jejunent. In memoriam tam acerbæ jacturæ & cruciatuum Servatoris nostri sua erant Christianis inde a nascente Ecclesia Jejunandi stata tempora. Singulis quidem annis per quadraginta dies, singulis item hebdomadis feria quarta & sexta in media corpus macerabant. Præterea cum initiandi Ecclesiæ ministri essent, aut publicæ calamitatis deprecatio communiter facienda, Pastorum jussu a cibis abstinebant; his accedebant non raro alia jejunia vel privata devotione, vel

Matth. 9. v. 15.

vel pœnitentiæ agendæ necessitate suscepta.

Quo die jejunandum erat, semel tantum, & quidem sub vesperum cibum sumebant, in quadragesima post Vesperas, sive appetente jam nocte: aliis vero diebus post Nonam; hæc Christianorum consveta erant jejunia. præter quæ majora alia per annum incidebant, ut in hebdomada sancta, quæ a multis tota, vel certe dimidia sui & extrema parte sine cibo exigebatur. Alii quoque ut privatæ pietati facerent satis, præsertim cum martyrii subeundi opportunitas, aut alia quædam gravis causa id postulare videbatur, ad duos tresve dies continuos cibis omnibus sibi interdicebant. Vino & carnibus quotquot jejunabant, abstinebant omnes, plurimeque ipsorum pane & leguminibus contenti erant, quibus nonnulli pisciculos aliquot addebant; cæterum lautitia omnis & gulæ irritamenta procul a mensis aberant. Victus parabilis, & quoties jejunabatur, solito tenuior erat. Alii ipsorum *Homophagi* erant, qui crudis: alii *Xerophagi*, qui siccis duntaxat esculentis, nucibus, inquam, amygdalis aliisque id genus fructibus victitabant; denique erant, qui solo pane & aqua famem ac sitim sedarent.

v. Epist Canon. Dion. Alex.

Equidem non sum nescius, istarum rerum commemoratione parum commoveri nostra hac ætate Christianos. Putant isti nimi-

nimirum, majora esse antiquæ austeritatis exempla, quam ut imitari ea nobis liceat. Debilitata, inquiunt, tot sæculorum decursu magis in dies deficit natura: nec vita miseris mortalibus tam longa. nec corporis tam robustæ vires uti olim suppetunt. Utinam vero, quam confidenter ista jactantur, tam facile solideque probari possent! unde enim aut a quo tempore tanta naturæ nostræ facta inclinatio est! non quæro hic de temporibus illis heroicis Græcorum, nec de Patriarcharum vita, hominumque ante diluvium ætate: sed de temporibus loquor primorum Romæ Imperatorum, quæ noti in vulgus Auctores Græci & Latini descripsere; Hos tu volve & revolve & vitam hominum abhinc sedecim sæculis nihilo quam nunc longiorem fuisse perspicies. Etenim tum quoque temporis multoque ante mortalium vita annis solum septuaginta aut octoginta circumscripta jam erat. Fuere quidem sub prima illa Ecclesiæ tempora Græcorum & Romanorum nonnulli, qui Gymnasticis exercitiis corpora consolidarent; sed longe major eorum numerus erat, qui corporis vires intemperantia sua labefactarent, illo potissimum intemperantiæ genere, quod valetudini plurimum obest. & ante diem nostra etiam tempestate Orientis populos facit senescere. Et tamen ex Ægypto & Syria, quæ regiones vitio

hos

hoc præ cæteris laborabant. Christiani prodiere abstinentissimi, iidemque maxime omnium longævi. Non nego calidioribus in terræ plagis minus molestia accidere, quam apud nos, jejunia; sed tamen in Gallis etiam & Septentrioni subjectis provinciis non desunt exempla mirandæ prorsus abstinentiæ etiam post mille annos, eoque amplius ab ætate Apostolorum.

Christiani jejunia sua, quemadmodum ante ipsos Judæi, ad luctus & mœroris significationem referebant, hoc tamen a Judæis discrimine, quod Judæi in jejunando naturali solum dolori suo obsecundarent, quem bonorum terrenorum vel chari cujusdam capitis jactura expresserat; Christiani autem jejunia sua ad eam unice tristitiam dirigebant, *quæ secundum Deum est, & pœnitentiam in salutem stabilem operatur*: id est, ad cordis compunctionem & expiationem peccatorū. Adhæc ut tentationibus materiam & fomenta subtraherent, extenuabant corpora & spiritui subesse cogebant. Qui ita jejunabant, consequens erat, ut a voluptatibus cæteroquin minime vetitis temperarent, hinc conjugatorum eo tempore continentia: hinc solitudinis & silentii solito severior observatio: hinc major in Ecclesiis frequentandi assiduitas, hinc denique preces & sacra lectio multo quam alias productiora.

2. Cor. 7. v. 10.

CAPUT

********************:***

CAPUT VII.

Convivia Christianorum.

EPulæ Christianorum etiam extra jejunii tempora frugalitate semper & modestia condiebantur: multi erant in iis cohortandis pastores, ut ne cibi plus caperent, quam quantum opus esset ad sanitatem tuendam, viresque corporis labori necessárias instaurandas, non esse homini vivendum, ut edat, sed edendum, ut vivat: exquisitiora dapum fercula & conviviorum ingentes apparatus a mensis Christianorum penitus exulare debere. Plures ipsorum solis herbis, fructibus, lacticiniis vivebant; si quidquam aliud præter ista manducandum erat, piscium & altilium, quam quadrupedum carnes, utpote succi pleniores, nimiumque ad nutriendum factas manducare malebant; complures etiam semel tantum de die sub vesperum cibo se reficiebant. Primis Ecclesiæ sæculis ac diu post sangvine & suffocato abstinebatur, uti ab Apostolis in Concilio Hierosolymitano lege cautum fuerat. Tanta in victu parsimonia minus per ea tempora quam nunc nova & insolens videbatur. Etsi enim mensarum luxus & nidor tunc quoque modum excederet, id quod ex Græcis Latinisque Scri-

S. Clem. Alex. 20 pæ-dag. l. 2. c. 1. Prudent Hymn. ante cib.

Vertul. ad Psych. c. 9. Act. 15. v. 29

pto-

ptoribus, præsertim ex Athenæo discere licet; longe tamen inferior erat nostrorum temporum plus æquo lautis magnificisque conviviis Ægypti & Orientalium populorum pars major adhuc frugalitatem suam prope ad superstitionem usque retinebant; Pythagoræorum porro in cibo sumendo temperantia passim celebratur, quam Apollonius Thyanæus exemplo suo, & Porphyrius editis libris confirmarunt, Horatius quamlibet Epicuræis moribus esset, sese-

Lib. 1 Epist 4

que ipse nominet *pinguem & nitidum Epicuri de grege porcum*; nihilominus familiaria sibi esculenta enumerat *olus ac far*, quæ ipse, quanti valerent, percontaturus, forum obibat.

Lib. 1. Sat. 6.

Inde domum me (inquit)

Ad porri & ciceris refero laganique catinũ.

Lib 1. Epist. 5.

Neque lautius aliquid amico ad cænam invitato appositurum sese pollicetur. Quid? Augustus Imperator pisciculis fere, caseo, ficubus, dactylis, uvis & pane cibario victitabat,

Svet in Aug 76

Similibus exemplis abundant eorum temporum historiæ. Sola ferme cæna justi convivii formam præseferebat; ea, diurnis negotiis expediti mortales ac demum quisque suam reversi, corpora curabant; nam quod ipsi prandium vocabant, id jentaculis nostris quam prandio similius erat, eoque spectabat unice, ut ne prorsus jejuni diem agerent, quemadmodum de se Horatius canit;

Pran-

Pransus non avide, quantum interpellet inani
Ventre diem durare. Lib 1. Sat. 6.

Quanquam hoc quoque licet pertenui prandiolo multi abstinebant, Vitellio sane Svetonius inter alia illud etiam vitio vertat, quod ter quotidie, & sæpe quater epulari soleret

Constat autem Christianos tum temporis ut minimum sapientioribus inter Ethnicos temperantia sua pares fuisse; ac proinde cibis potius vesci solitos obviis & simplicissimis, quam iis, ad quos parandos condiendosque igni & multa hominum industria opus esset; quare duabus ut summum vicibus per diem cibi aliquid capiebant, damnatis penitus ex Apostolica disciplina commessationibus, quas quidam Gulones a Vespera in multam noctem producebant. Non pauci illorum, fœminæ præsertim & Juniores natu a vino abstinebant: cæteri eodem quam parcissime. & frigida tempe rato urebantur. Epulis quantumvis moderatis ac brevibus longæ preces initio & fine addebantur, quarum formulas nobis exhibent Ecclesiasticæ orationes hodiedum usitatæ; extant etiam duo in hanc rem compositi a Prudentio hymni, quibus primorum sæculorum pia indoles graphice describitur Solebat tunc fere ad mensam liber aliquis prælegi ; hanc consvetudinem Plinius accurate retinuit, & Ju-

Galat. 5 v. 21. Rom. 13 v. 13. 1 Pet. 4. v. 3. Clem. Alex. 2. pædagog 2 Path. Hym. 3. & 4.

venalis Amicum ad cœnam invitans, eidem veluti condimenti loco promittit Homeri & Virgilii lectionem a se curandam. *Sat. 11.*

Nostra dabunt alios hodie convivia ludos.
Conditor Iliadis cantabitur, atque Maronis
Altisoni dubiam facientia carmina palmam.

Christiani vero divinas literas ad mensam legebant, & pro impuris profanisque cantionibus, quibus epularia festa gentiles animabant, pia ipsi & cœlestia carmina gravi modulatione decantabant; neque enim musicam Fideles & hilaritatem omnem plane reiiciebant, si modo sancta esset, animumque ad Deum erigeret. *Clem. Alex. 2. pædagog. c. 4.* Nec cum hæreticis, nec cum excommunicatis, ac nequidem cum Catechumenis Christiani mensæ accumbebant; Ethnicorum tamen epulas non omnino defugiebant, ne prorsus omne cum illis commercium & consvetudinem rescidisse viderentur.

CAPUT VIII.

Modestia & gravitas Christianorum.

QUemadmodum in victu, sic in omni reliqua actione mira elucebat Christianorum modestia. Nobilitatis & dignitatis, nisi quæ interior esset animumque perficeret, nullam habebant rationem, nec alias quam spirituales divitias magni ducebant. Mensas ex ebore factas, argenteos lectos auro & purpura interlucentibus

tibus telis ornatos, vasá aurea argenteaque gemmis distincta, operum publicorum insanas substructiones, lautam & preciosam supellectilem, verbo, quidquid luxus & magnificentiæ Romanorum immensæ opes in Occidentem invexerant, id omne Christiani excelso animo despiciebant. Universa res familiaris, quam in conclavi S. Domnæ nobilis & copiosæ Virginis Nicomediensis gentilis Præfectus invenit, *erant duæ storæ in nudo solo stratæ.... fictile præterea thuribulum & lucerna & lignea arcula, in qua reposuerant sacram oblationem, præter Divinæ Crucis figuram & librum sacrosanctum, nimirum Apostolorum Deo gratias actiones*, id est, Acta Apostolorum. In cultu etiam corporis modum Christiáni tenebant: mundum muliebrem, vestimenta exquisite concinnatá, colores nimium vividos. pannos subtiliores præsertim bombycinos, auro ipsi tum temporis suppares, balneorum plus æquo frequentem usum, putidam & puerilem in crispandis capillis, in reliqvo pingendo ungendoque corpore diligentiam, denique quidquid teneros parumque castos ámores provocare posset, longe a se ámandabant. Sane inter primas conversionis S. Cypriani notas Prudentius eam recenset, quod deposito sui ornandi studio habitum exteriorem mutaverit.

Clem. Alex. 2. Pædagog. 3.

Act. SS. Mart. Nicom. apud Baron. An: 293 n. 2.

Jamque

Perisleph. hym. de S. Cypri an. M. *Jamque figura alia est, quam quæ fuit oris & nitoris,*
Exuitur tenui vultus cute; transit in severam:
Destua cæsaries compescitur ad breves capillos.

Huc etiam spectat S Martyris Torquati præclara vox, & hoc loco ex Actis SS. Sebastiani & Sociorum ipsius commemoranda. Is, ut Torquatum Apostatam, qui pro Christiano sese venditabat Judici, manifestæ imposturæ convinceret, talibus Judicem affatus est: *Credisne vir illustrissime hunc esse Christianum, qui in sui lenocinio moliendo capitis fimbrias admittit, qui tonsorem diligit qui scapulis molliter gestit ... qui neglectis viris fœminas curiosius intuetur! nunquam tales pestes Christus dignatus est habere servos suos.* Veri igitur Christi servi severitatem quandam suique negligentiam vel certe simplicitatem & gravitatem in tota exterioris hominis compositione præseferebant. Lusuū & oblectationum perpauca erant genera, quibus vacare ac frui Christianis liceret. Theatrorum, Amphitheatri, ac Circi spectacula fugiebant omnia. In Theatris Tragœdiæ & Comediæ, in Amphitheatro gladiatorum inter se; hominumve cum bestiis commissæ pugnæ, in Circo denique curulia certamina spectabantur. Omnes

qui ludi falsæ & idololatricæ Religionis pars quædam erant, & vel ideo apti ad arcendos inde Christianos, qui eos ludos præterea detestabantur tanquam bonis moribus infestissimos. Et erant profecto Theatra impudicitiæ, Amphitheatra vero crudelitatis quædam quasi scholæ, imo cupiditatum pravarumque affectionum omne genus his veluti pabulis nutriebatur. Ipsius adeo Circi spectacula, quæ minime omnium insidiari probis moribus videbantur, mirum, in quas reprehensiones apud SS. Patres incurrerint, propter factionum diversa studia, quæ spectatorum animos nunquam non ad furiosam animositatem: persæpe etiam ad cruenta certamina concitabant. Adhæc in iisdem ludis jure merito Patres damnabant sumptuum profusionem, otii materiem, hominumque utriusque sexus promiscuos concursus, & in videndo colloquendoque inter sese periculosam nimis libertatem.

Constit. Apost. 2. 5. 62. Tertull. de spec. Cypria. Epist. 2.

August. 6. Confess 67. Clemens 3. Pedagog 11. Cypr. de oper. & Elemos.

Horrebant præterea Christiani aleas, tesseras & quoscunque ludentium abacos, qui si non graviora vitia, certe otium inter vitia minime levissimum fovent ac nutriunt. Adhæc effusos cachinnos, gestus & verba ad ciendum risum composita, fabellarum narrationes, comicos sales & facetias, multoque magis quidquid in gestu petulans & in sermone procax parumque castum esset, esse pejus & angue fugie-

Clem. Alex 3. Pædagog 11 Ambr 1 vitior 32. Constit. Apost. 5 c. 9.

augiebant. Nihil in omni vita sua ne indecens quidem, nihil humile, abjectum & ingenuo viro minus dignum patiebantur; procul erant otiosi atque inficeti sermones, sive ut Apostolus ait: *multiloquiū & scurrilitas, quæ ad rem non pertinet*, familiaria nimium infimæ plebi & loquacibus mulierculis vitia; *Sermo* omnis ex Apostoli præcepto *in gratia sale conditus erat* utque omnium lingvæ vitiorum fontem obstruerent, silentio nihil antiquius magisque sibi commendatum habebant.

Ephes. 5. v. 4.

Coloss. 4. v. 6.

Hujusmodi vitæ ratio nostræ ætatis Christianis haud dubie nimis austera & inamœna videbitur; sed mirari eam desinet, quisquis secum ipse reputaverit, quam severe divinæ literæ genus omne illiberalium jocorum insectentur. quamque plena decoris & gravitatis Christi & Discipulorum ipsius vitá fuerit. Accedit, quod recensita hactenus animorum oblectamenta nec periculo nec culpa vácant; Christianos áutem fas est, recreationibus etiam minime malis aut periculosis moderate uti. Certe vita nostra in eo unice versari exigìque totá debet, ut & commissa peccatá rite expiemus, & alioqui committenda præpediamus id quod consequimur, pravis animi cupiditatibus edomitis atque compressis. Ut enim a seipso pœnas ex ordine sumat, qui voluptatibus ad illicita abusus fuit, ánte omnia lici-

Prov. 3. v. 34. c. 9. v. 7. &c.

licitis etiam & permissis privare se debet; neque ad restingvendam vel certe sopiendam concupiscentiæ flammam quidquam ita valet, quam fomentorum & pabuli, quanta maxima fieri potest, subtractio Imo alienum a perfecti Christiani moribus est, dedita opera delicias & commoditates corporis consectari; quæ vero a vitæ mortalis usu abesse prorsus nequeunt, cujusmodi sunt cibi & quietis capiendæ necessitas, ea non nisi obiter & veluti aliud agendo attingere oportet. Cæterum ubi recreationis aliquid nonnunquam admittere convenit, curandum est, ut vera sit ea recreatio. hoc est talis quæ cessationem a labore animiqve remissionem afferat; neque alio fine illa fruendum, quam ut natura refocilletur, quæ corporis & mentis nunquam intermissa contentione cito frangitur, onerique succumbit. Cæterum gaudere velle tantummodo, ut gaudeas, inque sensu ipso quantumvis honestæ voluptatis conquiescere, quamplurimum abhorret ab obligatione renuntiandi sibimetipsi; quæ tamen res virtutum Christianarum veluti anima est.

Ipsæ adeo hæreses primorum temporum perspicuum faciunt, quam severa Christianorum vivendi disciplina tunc esset. *Eæ* maximam partem ex immoderato amore pœnarum odioque proprii corporis pullularunt. Marcionistæ primum deinde Ma-

mi-

nichæi carnem malam esse, maloque ortam principio dicebant. eaquè propter nefas esse, carnibus vesci, liberorum procreationi operam dare, áut corporum anastasim exspectare. Corporum iste contemptus & abstinentiæ continentiæque amor admodum in speciem illustrìa videbantur; ac proinde nihil hujusmodi erroribus fingi tunc speciosius poterat. Montanistæ non contenti Ecclesiasticis jejuniis alia complura insuper addebant: secundas etiam nuptias dámnabant: semel in crimen lapsos ad pœnitentiam non admittebant amplius, sique enorme illud crimen esset, atque a Baptismo commissum, negabánt ejus condonandi potestatem penes Ecclesiam esse. Qui similia istis dogmata nostro ævo in vulgus jactare auderet, ne is perpaucos, imo vero nullos sectatores inveniret.

Quantumvis autem severa nobis & inamabilis ea Christianorum vita fortasse videatur, tristitiæ tamen & mœroris aliqua nube obductam fuisse, nemo sibi persuádeat. Profecto nihil factu non possibile Apostolus jubet, cum Christíanos gaudere, iterum atque iterum jubet. Si voluptatibus, quibus hominum pars potior tam avide inhiat, ultro se privabant Fideles. simul etiám mille molestiis pravisque cupiditatibus sese liberabant, quibus voluptatum amatores cruciari solent ac di-

ad Phil. 3. v. 1. &c. 4. v. 4.

discerpi Vacui enim ab ambitione, avávaritia & rerum caducarum amore fruebantur pace ac testimonio bonæ conscientiæ, suìsque ex actionibus, quibus Deo placere uni studebant, præsentem veluti fructum perpetui gaudii decerpebant Sed tamen nihil eorum animos magis erigebat & solabatur, quam melioris & æternæ vitæ, quam propediem adfuturam credebant, spes & exspectatio Noverant enim, cito nimis *præterire figuram hujus mundi*, & persecutionum in se concitatas procellás tanquam extremi judicii prævia signa excipiebant.

Nec prolium ipsos nepotumve cura multum sollicitos habebat. Si forte, quód persecutionum tempore non raro usu veniebat, martyrio coronati Parentes ánte liberos vita excederent. non ignorabant superstitem esse ac semper fore optimam matrem, Ecclesiam videlicet, quæ suum orphánis amorem nulla in re unquam deesse patiatur. Inde factum est, ut complures Christianorum in diem viverent, sive manum labore, sive certis redditibus, quorum usum cum pauperibus divisum opulentiores habebant, vitam tolerantes, procul negotiis, procul anxietudine, atque ab omni non solum turpis suspective lucri cupiditate, sed a desiderio etiam cumulandarum opum longissime remoti. Siqui forte Christianorum, quo tempore breves

veluti induciæ a Tyrannis dabantur, fundos & possessiones coemerent; vehementer in eam rem tanquam Christiano indignissimam Patres invehebantur. Et miramur adhuc, homines toto mundo superiores parum affici sensuum & corporum lenociniis potuisse! profecto degeneres Christiani sumus, nisi imitandi eos sincero saltem desiderio accendamur.

Cypria. de lapsis.

CAPUT IX.

Connubia Christianorum.

ETsi a terrenorum omnium amore abstracti essent Christiani; matrimoniis tamen maximam partem juncti erant. Non probabatur ipsis Gentilium cælibatus, in quo isti licentiæ majoris vagæque libidinis causa manebant, cui proinde statui pellendo, abrogandoque civiles etiam leges constitutæ fuerant, partim pœnis adversus cœlibes intentatis, partim propositis præmiis, qui ad augendum civium numerum legitima inirent matrimonia. Duos solum status Christiani agnoscebant, matrimonii alterum, alterum perfectæ continentiæ, nec deerant, qui utrumque conjungere didicissent; nam conjugatorum non pauci virgines usque permanserunt. Cæteri omnes a conjugii usu temperabant Festis quibusque celebrioribus, & jejunii tempore, demum ex Apostoli consi-

Tacit. Annal. 3 v. tit. Cod. de infirm. pœn. cap. lib.

Baron. ann 57. n. 44. &c. Tertul. 2. ad Ux. c. 6.

consilio, quoties liberius vacare communicationi cum Deo animus erat. 1. Cor. 7. v. 5.

Secundas nuptias mollis fractique animi argumentum esse usque adeo reputabant, ut nonnullis in locis ecclesiasticæ pœnæ decretæ essent, iterum nubentibus subeundæ. Tantus amor continentiæ non impediebat, quo minus matrimonio suus apud Fideles honos constaret, qui illud interiore mentis oculo suspiciebant tanquam *Sacramentum magnum*, & imaginem intimæ conjunctionis JESU Christi cum Ecclesia sua. *v. orat. in benedict. spons.* Facultatem porro generandæ prolis benedictionem esse credebant, a Creatore ipso etiam post peccatum & peccati pœnas Mortalium generi relictam. *Clem. Alex. 2. Pæd. c. 10* Adhæc parentes reverebantur. ut qui singulari quadam ratione Dei referrent imaginem, eoquod Creatoris in producendis hominibus veluti quidam administri essent.

Inter præcepta bonæ educationis illud etiam erat, ut *tempore ad conjugium maturo matrimonio liberi jungerentur, ne in ipso flore, ætate fervescente* luxuriæ se dedant. *Constit. Apost. 4. c. 10.* Idem commendabatur Christianis, qui pro sua charitate pupillos enutriebant, utque eos uni suorum liberorum potius, quam alteri extraneo nuptui collocarent, admonebantur. Ex quo videre licet, quam parum in procurandis Fidelium connubiis avaritia & ambitio in con-

filium adhiberentur. Imo Episcopus præcipue consulebatur, cum de matrimonio ageretur, magni utique momenti negotio, ut *secundum Deum, non secundum concupiscentiam iniretur*, quemadmodum S. Ignatius loquitur. Decreto semel matrimonio nuptiæ ipsæ publico & solenni ritu in Ecclesia celebrabantur, Pastore ipsas benedicente, & divini oblatione sacrificii confirmante. Dexteras mutuo jungebant novi conjuges, & sponsæ sponsus annulum donabat, cui crucis signum vel aliud quoddam virtutis symbolum, ut columbæ, anchoræ, aut piscis imago insculpta erat. His annulis more Veterum Christiani pro sigillo uti solebant.

S. Ign. Ep. ad Polyc. Tertul. 2. ad Ux. in fine Clem Alex. 3. ad Pædag. c. 11.

CAPUT X.

Concordia Christianorum.

HActenus de moribus Christianorum separatim viventium nunc de eorum cœtibus agendum est. *Ecclesiæ* nomen Græci suis in civitatibus pro congregatione populi accipiebant, quæ in theatris ad publica tractanda negotia haberi fere solebát. Profanæ hujusmodi Ecclesiæ sive congregationis Ephesiorum mentio fit in Actis Apostolorum. Christianorum veró quævis congregatio sive Ecclesia, ut a cæteris distingveretur *Ecclesia Dei* appellabatur. Utriusque generis Ecclesiás

Act. 19. v. 31.

Ori-

Origenes contra Celsum disputans, inter sese confert, & tanquam rem omnibus exploratam defendit, etiam remissiores minusque ferventes Christianos, qui tamen reliquorum comparatione perpauci erant, tantum præstare cæteris hominibus, merito ut ipsorum Ecclesiæ, totidem astra lucidissima nominari possunt, Itaque singulis in civitatibus Christiani in unum quasi corpus colligebantur. Quæ res inter præcipuas ipsos exagitandi causas ab Ethnicis prætendebatur. Jlliciti enim huiusmodi conventus habebantur, quod eos nulla lex civilis & politica confirmaret. Imo crimini vertebatur Christianis mutua unio, quæ sola virtute charitatis coaluerat, & animorum inter eos conjunctio coniurationis notam subibat.

cont. Celsum lib. 3.

Tertul. Apol c. 29

Quotquor eadem in civitate aliove loco degebant Fideles, probe se omnes inter sese norant, si non aliunde, certe ex quotidiano fere usu multaque consuetudine, cum ad preces aliaque religionis exercitia convenire omnes solerent. Alias quoque cætus sæpe agebant, uti loco, ita sententiis conjunctissimi, etiam in rebus natura sua indifferentibus. Communia ipsis gaudia, communis tristitia erat; siquid a Deo beneficii gratiæque singularis uni concessum esset, id omnes tanquam sibi exhibitum accipiebant; si noxarum pœna uni suscipienda, misericordiam omnes implo-

plo-

plorabant; dixisses sangvine junctos Inter se omnes, adeo usitata illis, cum alii alios mutuo compellarent, nunc Patrum & filiorum, nunc fratrum ac sororum, pro ætatis ac sexus discrimine, vocabula erant.

Hanc animorum concordiam fovebat Patrum familias in suos auctoritas, & Fidelium erga Presbyteros & Episcopos submissio, tantopére a Sancto Ignatio suis in epistolis commendata. Præcipue tamen Episcoporum mira erat consensio; operam ipsi dabant ut nomine saltem & fama inter se noti essent, literarum ad hoc commercio diligenter utentes id quod tunc temporis factu proclive erat. Imperio Romano in immensum patente, cujus tantam amplitudinem ad propagandum maxime Evangelium suum Deus permisisse videtur. Imo cum longe amplioribus Ecclesia Dei, quam ipsum Imperium Romanorum, finibus contineretur, multo etiam admirabilior fuit tot inter, tamque varias gentes fidei & morum æqualis ratio, quam, morum barbarie correcta, Christi fides in animos suorum Sectatorum induxerat. Denique universa Ecclesia, quanta quanta erat, verissime unum duntaxat corpus erat, cujus omnia membra non modo fidei, sed charitatis etiam arctissimo vinculo copulata inter sese cohærebant.

Bardesan ap. Euseb. 6. præp. c. 8.

CAPUT

CAPUT XI,

Chriſtianorum cœtus & Liturgia.

CONveniebant Fideles Dominico quoque die, quem a Sole Ethnici nominant, & Chriſtiani ob memoriam conditæ lucis & Chriſti glorioſæ Reſurrectionis nunquam non honore proſecuti ſunt. Locus, ubi conventus iſti celebrabantur, erat privata domus, in cujus ſuperiore parte Aula eſſet, quam Latini *Cænaculum* nominant. Sæpe ſæpius Tyrannorum vexatione compulſi Fideles extra civitates abdere ſe in cryptas & cæca antra debebant, cujuſmodi adhuc Romæ ſuperſunt dignæ viſu Catacumbæ. Si pluſculum libertatis daretur, ad publica loca confluebant, ubi Chriſtianorum Eccleſias eſſe, paſſim conſtabat. Cujus rei exempla ſuppetunt ſub Imperio Alexandri & Gordiani Cæſarum. Neque aliter quam dirutis ejuſmodi ædificiis tanquam dato ſigno bellum a Diocletiano in Chriſtianos moveri cæptum eſt.

Baron. An. 57. *n.* 99. *Item An.* 124. *n.* 3 *An.* 245. *An.* 302 *Euſeb. Hiſt.* l. 8. c. 3.

In his cœtibus præter ſtatas diurnas nocturnaſque preces a Sacerdotibus, quibus ſolis ea poteſtas data eſt, ſacrificium rite fiebat, quod vocabulis in Novo Teſtamento uſitatis ac receptis nominari ſolebat *Cæna*, *Tractio panis*, *Oblatio*, *Synaxis*, ſive *Collecta*, *Dominicum*, *Euchariſtia* ſive *Gratiarum actio*, *Liturgia* denique, ſive publi-

cum ministerium. Interdum Gentilium urgente metu summo mane res divina peragebatur, ne interpellari, turbarive ab hostibus posset. Unicum tantum in qvavis Ecclesia seu Diœcesi sacrificium Deo offerebatur, idque vel ab *Episcopo*, vel a Sacerdotum aliquo, si Episcopus abesset. Attamen sacrificanti Episcopo Presbyteri aderant semper, & una cum eo offerebant. Varius erat pro temporum & locorum varietate Liturgiæ usus, ritibus aliquot per se minime necessariis nunc additis, nunc detractis; summa tamen rei eadem ubique ac semper fuit. Juvat hic recensere, quæ in istam rem inde a primis Ecclesiæ temporibus memoriæ prodita sunt.

S. Just. Apolog. in fin. Nonnullis precibus præmissis, e Vetere primum, deinde Novo Testamento aliquid recitabatur, postrema lectio semper ex Evangelio petenda erat; quod Episcopus continuo exponebat, exhortatione, quæ maximæ e re foret audientium, subjuncta. Subinde ad Orientem conversi omnes, manibus in cœlum sublatis preces ordine fundebant pro quibuscunque hominum generibus, pro Christianis & Gentilibus, pro summis & imis, præcipue vero pro ægrotis, calamitosis, & Christi causa quidpiam

Cypria Epist. 63. perferentibus Diaconus ad comprecandum reliquos cohortabatur: tum Sacerdos in preces præibat, populo consentiente cum *Amen* responderet. Secundum ista Panis

&

& vinum aqua modice permixtum offerebantur, tanquam sacrificii futuri materia. Qui aderant, viri viris, & fæminæ fæminis mutua pacis oscula figebant ád perfectæ concordiæ publicam significationem. Mox sua singuli dona Sacerdoti offerebant, & Sacerdos omnium vèrbis Deo illa sacrábat. Tum denique ad actum sacrificandi propius ventum est: Sacrificans admonitis præsentibus, ut ad Deum corda erigerent, ut Deo gratias agerent, ejusque majestatem cum Angelorum omniumque beatorum Spirituum choris demisse adorarent; cætera persequebatur usque ad institutionis Eucharistiæ narrationem & formulæ consecratoriæ pronunciationem. Hanc Dominica precatio excipiebat, communiter recitari solita. Ad extremum Sacerdos sacra communione sumpta eandem Diaconorum ministerio universis, qui sacrificio intererant, impertiebatur; qui vero inter esse non poterant, iis a Diaconis vel Acolythis domum deferebatur. Semper etiam pro viatico aliquid reservabatur, quo ad ineundum longum iter æternitatis morientes munirentur. Licebat etiam Fidelibus secum ferre Eucharistiam, eamque mane jejunos accipere quot diebus, vel certe minimente vitæ periculo, aùt cum ad Martyrium compárare se vellent. Neque enim per ea tempora integrum erat, populo quotidie congregatò, sacris operari.

S. Cyprian. de orat.

S. Just.

Tertul. 1. ad Ux. c. 5.

Solæ

Cyprian. de lapf. Solæ tamen Panis ſacræ ſpecies alio aſportabantur, etſi præter párvulos, quibus vini duntaxat conſecratæ ſpecies modica quantitate inſtillabantur, adulti omnes, qui aderant, ſub utraque ſpecie utplurimum Sacrámenti participes fierent. Sumpto hoc divino cibo primis Eccleſiæ temporibus eodem in cœnaculo epulæ communes apponebantur, quas Agapen vocari, ſupra commemoratum eſt. Progrediente vero die ſolis viduis & pauperibus cibi aliquid dabatur. Ex eo conviviolo Paſtori, quamvis non adeſſet, primitiæ ciborum ſeponebantur. Adhæc duplicata portio Presbyteris & Diaconis, unicá ſólum Lectoribus, Cantoribus & Oſtiariis præſcripta erat. *Conſtit. Apoſt. 2. c. 28.*

CAPUT XII.

Occultatio Myſteriorum Fidei.

PRæter Euchariſtiam, de qua ſuperiore capite, iiſdem in Congregationibus reliqua etiam Sacramenta, quoad fieri poterat, diſpenſabantur, Gentilibus eam ob cauſam ſolicita cura inde excluſis. Studioſe nimirum Redemptoris noſtri præceptum Chriſtiáni obſervabant, prohibentis *dare ſanctum canibus, & mittere margaritas ante porcos* Eandem ob cauſam novæ Legis Sacramenta alio vocabulo *Myſteria*, *Matth. 7. v. 5.*

id

id est, *Arcana* nominabantur, quæ Christiani non tantum Ethnicos, verum etiam Catechumenos celatum ibant; nec solum ea frequentare illis inspectantibus verebantur; sed etiam, quid clàm ipsis fieret, referre, aut solennes Sacramentorum formulas coram enunciare, religioni ducebant sibi; multo etiam minus editis libris publicare mysteria audebánt. Siqua interdum necessitas urgeret, sive pro concione ad populum, sive scripto edito, quod facile ad profanas manus distrahi posset, de Eucharistia aliove Mýsterio disserendi, verborum involucris & ænigmaticis locutionibus omnia tegebantur Sic in Novo Testamento *frangere panem* idem sonabat, quod conficere & distribuere Eucharistiam, phrasi ab Ethnicis nunqnam intelligenda. Mos iste plura etiám sæcula tenuit, postquam asserta jam in libertatem Ecclesiá Dei fuit.

Act. 2. *v.* 42. & 46. & *alibi.*

Minime vero novum & insolens videri Gentilibus poterat istud Christianorum in celandis fidei arcanis studium; quandoquidem ipsi etiam Gentiles in profanis suis ceremoniis idem observabant. Qui ad Isidis, Osiris, Cereris Eleusinæ ac Cybeles curanda sacra initiabantur, ad eadem clám aliis tenenda summa religione, & Dirarũ omnium proposito metu obligatos sese credebant, & siquid aliquando proderent, pro impiis & sceleratis habebantur. Exemplũ

eius

Apul. Asin. lib. ejus rei perspicuum Apulejus affert, & Herodotus de diversis ritibus religionis Ægyptiorum aliarumque Gentium agens, sæpe ait, rei quidem rationem haud se ignorare, sed in medium proferre non audere.

OBSERVATIO AD HOC CAPUT

Magni momenti argumentum est in isto capite cæteroquin brevi petractatum. De eo Schelstratius singularem dissertationem instituit Romæ typis vulgatam, quam inscripsit: De Disciplina Arcani; *eo autem doctrina hæc de occultatione rituum ac dogmatum aliquorum nostræ fidei spectat, ut & complures Patrum de Sacramentis præcipue obscure loquentium sententiæ, quas Heterodoxi contra nos afferunt, commode ac genuine exponantur; & solida ratio afferatur, cur primis Ecclesiæ sæculis nulli Tractatus de septem Ecclesiæ Sacramentis conscripti fuerint. Dicunt quidem Protestantes, antiquiores Patres a Commentariis de septem Sacramentis abstinuisse, eo quod numerum illorum Sacramentorum non admiserint. Verum id ex Orientalis Schismaticæ & Occidentalis Orthodoxæ Ecclesiæ hac super re consensione facile refellitur. Neque enim Orientales Schismatici cũ Orthodoxis latinis in unã eandemque sententiam ab octingentis annis & amplius conspirassent:*

sent, nisi illam a Majoribus accepissent. Alia itaque ratio quærenda est: nimirum cum Tractatus de septem Sacramentis eduntur, necesse est eorum ritus exponere, materiam & formam, quibus conficiuntur, determinare, dogma ipsum de omnibus ad Sacramentorum consecrationem & ministrationem spectantibus diserte proferre; quæ tamen omnia vetus Ecclesiæ disciplina auribus & oculis non modo Gentilium ac Judæorum, verum etiam Catechumenorum religiose occultabat, ne, quod prudenter metui debebat, mysteria ipsa sui evulgatione profanarentur. Contra vero postquam sexto Ecclesiæ sæculo, fide Christiana longe lateque jam propagata & constabilita metus iste ac mos cessasset, frequens Sacramentorum mentio apud Græcos & Latinos postmodum facta est; ita ferme ad verbū Antonius Pagius in Critica ad Annum Christi 118. num. IV. &c. ex Schelstratio supra laudato.

CAPUT XIII.

Odiorum in Christianos causæ.

SÆpe tamen hæc ipsa Mysteriorum occultatio ansam Gentibus præbuit, criminandi Fideles: frequentius enim vitii, quam virtutis amore latebrás homines quærunt. Aliunde vero nota res, & apud omnes

mnes pervulgata erat, quamplurima Mysteria, quæ aliis in religionibus studiosissime celarentur, eadem omnium maxime turpia & infamiæ plena esse; quemadmodū in ritu colendæ Cereris & Cybeles, item in sacrificiis Bacchi usuveniebat, quæ prohiberi tandem propter multa, quæ ibidem crudeliter & nefandum in morem fiebant, Senatus edicto oportuit, anno ab Urbe condita quingentesimo sexagesimo octavo. Cum itaque præconceptis pridem sinistris opinionibus male affecti erga Christianós Ethnici essent, nihil proclivius erat, quam ut in sácris Christianis tanto studio celari solitis similia probra admitti suspicarentur. Augebant porro súspicionem istam Gnosticorum, Cárpocrátianorum, aliorumque hæreticorum flagitia, qui cum Christianorum nomine censerentur omnes; tam indigna hoc nomine suis in conventiculis perpetrabant, ut fidem superare propemodum videantur, quæ de hoc árgumento Patres literis consignarunt Nec deerant inter ipsos Catholicos perditi homines, quia vera religione descifcerent, seu animi levitate & inconstantia abducti, seu expiándorum publice criminum metu deterriti, seu tormentorum acerbitate tempore persecutionis fracti & superati. Id genus homines ut de infamia sacrilegæ defectionis multitudini sese purgarent, partim nova in Christianos scelera comminiscebantur, partim vulgo

Liv. 39. c. 9.

Baron. An. 120. num. 11. Epiph. hæres. 26. & 27. Iren. l. 1. c. 24

jam notas criminationes confirmabant ipsi, atque exaggerabant; quorum testimonia, ut qui nostra sacra intime nossent, pro indubitatis admittebantur.

His Auctoribus fabula percrebuit. solere Christianos in nocturnis conventibus infantem occidere, cujus sangvine pánem suū illinant; imo carnibus pueri assatis, & farina respersis vesci; quam calumniam ex Eucharistiæ Misterio perperam intellecto natam fuisse, nemo non videt. Alia quoque de Christianis fabula narrabatur, nimirum sublatis mensis, in quibus cibo sese immodice ingurgitarint, objicere solitos frustum aliquod cani ad candelabrum alligato, qui prædæ captandæ aviditate prosiliens, candelabrum, a quo religátus erat, loco excussum humi prosternat; tum vero candela, quam unam accensam tenuerant, extincta, tenebrisque invitantibus, viros fæminasque, quotquot adessent, digna æternis tenebris flagitia patrare. Nihil equidem istis mendaciis excogitari absurdius poterat; sed tamen credula in vitium turbâ fidem iis adhibuit, ut adeo necesse esset, accuratis ea confutationibus diluere. Nimirum ex quo ín Bacchanáliorum festis, ducentos ante ea tempora annos horrenda quædam & infanda crimina detecta fuerant, passim existimátum est, nullum tam immane facinus esse, ad quod committendū homines, religionis veluti prætento velo, induci se non patiantur. Ad-

Minut. Fel.

Tertul. Apol. c. 7. 8. 9. Origen. cont. Cels. 6.

Adhæc multa alia in Christianos contumeliose jactabantur. hominum genus id esse toti humano generi, ac Romanorum præcipue potestati infestum: delectari publicis calamitatibus; contra vero secundis rerum successibus indolere; Romani denique Imperii eversionem votis omnibus expetere. Non alio ista fundamento nitebantur, quam quod multa Christiani de bonorum terrenorum fluxa & inani conditione, multa de Judicii extremi natura, mundique interitu passim dicerent. Fortasse etiam ipsorum nonnemo seu parum consulto, seu mala fide quædam eorum narrávit, quæ de castiganda Gentili Roma, deque Martyrum vindicando sangvine in Apoclypsi continentur. Ad ejusmodi confirmandas calumniás illud etiam non parũ momenti attulit; quod nihil publicæ hilaritatis Christiani cum Ethnicís commune vellent hábere; quippe quorum profana gaudia sacrificiis, conviviis & spectaculi constarent, impietate ac dissolutione plenis. Quin potius festos Gentilium dies Christiani in luctu & pœnitentia transigebant consideratione innumerabilium peccatorum, quæ tunc committebantur, ex adverso quos dies Gentilium superstitio pro luctuosis & nefastis habebat, eos Christiani potius materiam ducebant esse lætándi. Ipsas adeo nundinas Fideles devitabant, lusuum ibidem usitatorum odio; siqui tamen

Luc. Philop.

Tertul. Apol. c. 35.

Constit. Apost. 5. c. 9. Clem. 2. Pæ-dag.

men ad publicos mercatus sese conferrent, non alio fine id faciebant, quam ut necessaria coemerent, aut mancipium aliquod redimerent, ad veram fidem traducendum. *Constit. Apost. 2. c. 26.*

Denique ad vocandos in communem invidiam Christianos illud plurimum valebat, quod Religionem profiterentur, quæ una cæteras omnes ad eam diem receptas & stabilitas prohibet ac damnat. Nec quidquam proderat ipsis, palam asseverare, quod colant & adorent in spiritu Deum, Cœli terræque effectorem, eique precum suarum continua offerant sacrificia Nimis enim peregrinus, & supra Idololatrarum captum is loquendi modus erat, sæpeque Gentiles instabant, ut nomen Dei sui Christiani proferrent, cumque isti nec Simulacrum aliquod ex iis, quæ in fanis prostabant, ostendere possent, nec altaria flammis corusca. cruentave sacrificia haberent; pro Atheis passim traducebantur. Atque hæc populorum in Fideles odia mirum quantum fovebant, magisque inflammabant Augurum, Aruspicum & quorumcunque Ariolorum turbæ, verbo, ii omnes, quibus quæstui erant capti superstitione animi. Huc ipsi falsa prodigia a se in speciem patrata, huc publicas calamitates, bella inquam, morbos, sterilitatem agrorum, aliaque his similia, quæ subinde accidebant, spectare mentiebantur. Horum ma-

lorum Auctores Christianos faciebant, utpote qui talia ab iratis Diis in eorum capita accerserent, qui invisam cælo gentem adhuc vivere patiebantur. *Existimant*, Tertullianus ajebat, *omnis publicæ cladis, omnis popularis incommodi Christianos esse causam. Si Tyberis ascendit in mœnia, si Nilus non ascendit in arva, si cælum stetit, si terra mota est, si fames, si lues: statim* (conclamatur) *Christianos ad leonem*: id est: ad bestias pestes hominum condemnate.

Arnob. init

Tertul. c. 39. & alibi in Apolog

Animis ita præoccupatis, ipsæ adeo Christianorum virtutes in deteriorem partem accipiebantur, inque argumentum vituperationis & calumniarum detorqueri solebant. Odiosa nimirum erat mutua ipsorum dilectio; *fratrum & sororum* usitata inter ipsos vocabula in sequiorem sensum explicabantur, eo maxime, quod illis vocabulis Gentiles re ipsa abuterentur ad intemperantiam & libidinem: eleemosynarum largitionem alias interpretabantur esse occultam artem, pervertendi egentiores & ad suas partes adjungendi; alias vero a Præsulum avaritia proficisci ajebant, exhaustis privatorum hominum crumenis suas Ecclesias locupletantium. Ipsa miracula præstigiis diabolicis tribuebantur; & erant profecto tum temporis omnia præstigiatoribus & circumforaneis plena, qui divinationum multiplici gene-

Acta Ss. Hippol. &c. ap. Baron An. 259. n. 13.

Prudent Peristeph hymn de S. Laurentio.

re,

re, fascinis etiam, characteribus, barbaris nominibus & exoticis figuris usi, pro vatidicis & thaumaturgis vulgo sese venditabant, imo mira & stupenda sive occulto artificio sive Dæmonis ministerio signá edebant, ut miraculo esse desinerent ipsa miracula, quæ passim vel áudirentur, vel occulis cernerentur. In tanta rerum perturbatione vera prodigia cum falsis confundebantur; & qui ea patrare dicebantur; ex æquo omnes contemptui erant. Regionum etiam indoles errorem hunc augebat; nam impostorum illorum pars maxima ex Ægypti latebris & Orientalibus provinciis emerserant.

Ipsæ quoque persecutiones in Christianos motæ odiorum nova in eosdem flábella erant. Sceleratos esse nemo non iudicabat, in quos tanquám sceleratos passim animádverti omnes videbant; atque ex suppliciorum attrocitate criminum magnitudinem quisque metiabatur. Omnes tanquam devota neci capita. pestesque hominum igne & crucibus exscindendæ vulgo aspiciebantur, hoc ipsum significabant contumeliosa adversus Christianos excogitata cognomenta, cum eos nunc Biœothanatos (melius *Biothanatos*) id est violenta morte occubituros, nunc *Sarmenticios*, & *Semaxios* nominabant; id est, ut Tertullianus explicat, homines, *qui ad stipitem dimidii axis revincti, Sacramentorum ambitu*

Baron. An. 138 *n.* 6.
Tertul. Apol. c. 50.

bitu exurendi essent. Has imperitæ plebis opiniones Svetonius & Tacitus secuti sunt; ille de Claudio Imperatore scribit, *Judæos impulsore Christo assidue tumultuantes Roma expulit*; quasi vero Christus etiámtum in terris superstes, & cujusdam inter Judæos factionis caput fuisset. Idem inter res a Nerone laudabiliter & præclare gestás recenset, quod affecti suppliciis ab ipso fuerint Christiani, *genus hominum superstitionis novæ ac maleficæ.* Porro Tacitus ubi de incendio agit Urbis Romanæ, a Nerone per ludum animique causa excitato, testatur, eundem Imperatorem incendii Auctores insimulasse homines, *quos per flagitia invisos vulgus Christianos appellabat*, Tum ista subjungit: *Auctor nominis ejus Christus, qui Tiberio imperitante, per Procuratorem Pontium Pilatum supplicio affectus est. Repressaque in præsens exitiabilis superstitio rursus erumpebat non modo per Judæam, originem ejus mali, sed per Urbem etiam, quo cuncta undique atrocia & pudenda confluunt celebranturque. Igitur primo correpti, qui fatebantur: deinde indicio eorum multitudo ingens haud perinde crimine incendii, quam odio humani generis convicti sunt.* Hæc Tacitus, qui ut paucis multa complecteretur, Christianos vocat *sontes & novissima exempla meritos.*

Sveton in Claudium num 25.

Idem in Neron num. 16.

Tacit. 15 Annal.

Etiam

Etiam cordatiores Gentilium, quique res hominum paulo altius rimántur, nonnullas abálienationum a Christianis causas invenisse sibi videbantur. Isti enim partim Græci, pártim Romani erant, soliti cæteras nátiones familiari sibi fastu despicere, bárbarosque appellare; præ cæteris tamen Judæi superstitionis & putidæ credulitatis nota apud ipsos laborabant. *Credat Judæus Appella, non ego*, dicebat Horatius, de re portentosa & incredili loquens. Præter hæc Sapientes isti audiebant, esse inter Judæos, qui pro Filio Dei adorent hominem in crucem actum, totiusque inter istos & reliquos Judæos controversiæ caput in eo versari, utrum etiam post mortem suam homo ille viveret, atque ipsorum verus ac legitimus Rex esset; quam absurdum Gentilibus tale genus altercationis videretur, facile quisque existimarit. Animadvertebant etiam, novam hanc hominum sectam cæterorum odiis Judæorum usque adeo appeti; ut seditiones ab istis non raro in illis concitarentur; qua ex re nequiores háud dubie aliis omnibus esse, argumentabantur. *Horat. in Satyr.*

Audiebant insuper de Christianis referri, ipsos ad persuadendum nec ratiocinationibus uti, nec petitis ab eloquentiæ arte præsidiis; imo simpliciter ad credendum ea quæ dicerent, alios hortari, nec

nisi

nisi miraculis ostensis, ea, quæ narrabant, confirmare solere; homines etiam esse utplurimum illiteratos, in Judæorum volvendis libris operam omnem collocare, discipulos sibi quærere & instruere non alios fere quam indoctos, fæminas deque infima plebe homines, eoquod istos magis quam sapientiores ad sua dogmata percipienda idoneos existimarent; quæ omnia nimis quam nova insolitaque audiritu accidebant. Nulla enim apud Ethnicos rudis populi institutio, nulla de officiis nisi apud Philosophos tractatio usitata tunc erat, quorum disceptationes materiam Religionis non attingebant Denique cum hæretici omnes communi Christianorum nomine appellarentur, toti Ecclesiæ tribui solebat, quidquid aut Valentiniani aut his similes visorum cœlestium fictores proferebant, quos S. Irenæus acriter impugnavit; horum inepta mendácia a Catholicorum sana doctrina Gentiles minime secernebant, eoque factum est, ut Christianisimus universus nihil aliud videretur, quam hominum imperitorum suæque opinioni obstinate insistentium colluvies.

Orig. in Cels.

August. de vera relig. initio.

Baron. An. 179 nu. 17. & 28.

Pura quidem & sanctissima erat Christianorum de moribus doctrina, nec vita ipsorum a doctrina diffidebat, Sed abundabant ea tempora Philosophis, qui virtutem ipsi quoque profitebantur, aliosque docebant, Complures etiam primis Ecclesiæ sæculis

fue-

fuere, qui Christianos fortasse imitaturi, provincias obibant, generis humani, si Superis placet, futuri reformatores, eamque ob rem aspera quædam & adversa perpeti non dubitabant; huiusmodi erant Apollonius Tyanæus, Musonius, Damis, Epictetus & nonnulli alii. Inde a pluribus retro sæculis Philosophorum longe lateque celebris erat fama: nihil ab his ignoratum, nihil prætermissum fuisse in ipsorum libris, passim existimabatur: nec adduci quisquam poterat, ut Pythagora, Socrate, Platone, aut Zenone sapientiores esse Barbaros crederet; e contrario judicabant homines, siquid isti sapientiæ & bonæ institutionis haberent, id omne ipsos ab antiquis Sapientibus mutuatos esse. Baron. An. 75. num. 6. Orig. in Cels.

Ex altera vero parte longe indulgentiores hominum geniis Philosophi illi quam Christiani erant. Complures enim eorum voluptatem non damnabant; nonnulli beatitatem hominis in ea cullocabant; omnes suis quemque opinionibus inhærere, suo arbitrio vivere patiebantur, contenti interim ridere inter se familiariter & explodere alios, qui Philosophorum e Secta non essent. Jllud vero studiosissime cavebant Sapientes isti, ne quid adversus religiones pridem introductas usuque longo firmatas gravius asperiusque loquerentur: imo aliqui eorum ineptissimas quasque fabulas Gentilium admittebant, & re-

reconditis rerum significationibus plenas interpretari conabántur; alii in cognoscendo rerum omnium Principio pro se quidem elaborabant; superstitiones tamen illis hominibus relinquebánt, qui per ingenii infirmitatem eniti ad sapientiam non poterant. Ipsi adeo Epicuræi, quì apertius, quam reliqui Philosophorum, popularem errorem de Deorum natura & cultu insectabántur, sacrificiis nihilominus interesse, & ritus cujusque loci peculiares observare non dubitabant; iflorũ e numero unus de se affirmat: *assisto Divinis.* In eo omnes conveniebant, quod mores hominúm longa die & legum insuper authoritate roboratos impugnare non auderent.

Horat.

Eo usque stulta credulitas Ethnicorum processerat, ut non modo plures universim Deos, sed etiam singulís nationibus, civitatibus, familiis proprios esse putarent, quí nimirum de commissis sibí locis speciatim soliciti essent, cultumque in iis locis singularem sibì exposcerent. Imo quamcunque Religionem saltem in loco, ubi jam pridem recepta fuerat, bonam esse homines credebant. Nec veteribus contenti infirmioris sexus homines, rudisque & instabilis multitudo in novas quotidie religiones propendebant, quod existimarent, ut quisque plurimos Deos ac Deas diversis ritibus veneraretur, ita maxime

religiosum fore. Nihil a viris gravibus & politicis intentatum relictum fuit, ut hac animorum repressa levitate, novari quidquam in materia Religionis prohiberent; peregrina inprimis sacra damnabant, eaque in re politices totius versari summam Romani statuebant. Suis enim tutelaribus Diis debere se Imperii tantam amplitudinem arbitrabantur, nec posse illos aliarum Gentium Diis non præstare, qui alias Gentes prope universas suæ ditioni subjecissent; cumque processu temporis late propagata, ac demum constabilita esset Christiana Religio, non deerant Gentiles, qui huic uni rei ruinam Romani Imperii adscriberent paulo post consecutam, ut plane Augustino opus esset, qui divinis illis libris de civitate Dei conscriptis, Ethnicorum calumnias obtereret ac profligaret.

Nec magnopere mortis generoso contemptu, quem Christiani præseferebant, Gentiles movebantur; ut qui soliti erant spectare gladiatores, qui perexigui imo nullius lucri proposita spe in amphitheatro animas temere proiicerent suas; quotidiana insuper ante oculos versabantur funera hominum haud infimæ sortis, qui animi ægritudine levissimis ex causis contracta suismet manibus mortem sibi consciverant; idem, jure consultis testantibus, insanæ ostentationis causa quidam Philo- L. 6. §. 7 ff de in justo

sophe.

rump. & irr. sophorum fecerunt, quos inter Peregrinus Lucianus memorabili exemplo est. Imo cum animadverterent Gentiles, Christianos spe melioris vitæ præsentis vitæ commoditates & delicias defugere, vehementer admirabantur, qui tandem fieri posset, ut violentas a se ipsis manus abstinerent. *Justin. Apol. 1. initio.* *Ne quis dicat*, ita S. Justinus, *omnes igitur vobis ipsi mortem consciscite, & ad Deum jam proficiscimini, nec nobis negotium ultra facessite.* Haud absimili modo Antoninus Asiæ Proconsul, ut vidit, magno numero ac certatim offerre se ad mortem Christianos; in hujusmodi voces prorupit: *Tertul. ad Scap. c. ult.* *Ah miseri! si certum est mori, præcipitia & restes habetis.*

Itaque plebs æque ac Magistratus, docti & rudes, omnium denique ordinum homines communiter oderant Christianos. Alii eos tanquam impostores, impios & sceleratos execrabantur; alii tanquam misanthropos, visorum nundinatores, simulate Melancholicos & per summam animi obstinationem in mortem præcipites deridebant. Ne alloquio quidem cæterorum hominum digni habebantur, tamque alte insederant animis præconcepta de iis sinistra judicia, ut ad condemnandos illos præter Christiani nomen nullo alio examine opus esset: hoc unum nomen quantaslibet ipsorum laudes obscurabat, & familiaris Gentilibus ea vox erat, quam

de

de C. Sejo nonnemo pronuntiavit: *Bonus vir, malus tantum, quod Christianus.* *Tertul. Apol. c. 3.*

CAPUT XIV.

Persecutiones, Judiciorum forma & supplicia de Christianis sumpta.

Ex hoc tam communi odio mirum non est, concitatas in Christianos fuisse persecutiones; illud potius admirationem nonnullis moveat, potuisse Romános, hominum genus cæteroqui a sapientia & humanitate commendatum, in alios Romanos vel certe in homines ratione præditos tam dirum ac prope ferinum in modum desævire, id quod ex Actis Martyrum plus nimio elucet. Jllud etiam mirum & a consvetudine nostrorum temporum longe alienissimum erat, quod Judices, cum ipsi adessent, in foris & compitis celebrioribus, inspectante populi universa multitudine in Christianos animadverterint, eaque adhibuerint suppliciorum genera; quæ mere arbitraria primumque excogitata videri poteránt,

Sed adnotare hic juvat Romanorum hac in re antiquum morem. Solebant isti actiones omnes judiciarias, seu capitales essent seu civiles, sive cognoscenda solum causa, sive post ejus cognitionem sententia proferenda foret, propálam & in publi-

Cicero Verr. 4. blico hominum conventu exercere, quod in foro ſemper fiebat. Qui conveniebant ſub porticu Quæſitores, editiore in loco pro tribunali ſedebant; hos lictorum & militum manus circumſtabant, illi faſcibus & ſecuribus, hi armis ſuis inſtructi, utrique ad exhaurienda ſine cunctatione judicum mandata expediti; neque enim juris ſolum dicendi, ſed armorum etiam poteſtas penes Magiſtratum erat. Suæ cuique criL. 6. §. 2. ff. de pæn. L. 9 § 11. L. 10. L. 28. &c. ib. mini a Legibus conſtitutæ pœnæ erant, diverſæ tamen pro perſonarum differentia. Severius in mancipia quam in liberos, in exteros quam in cives Romanos animadvertebatur. Eo factum, ut S. Paulus, quod Civis Romanus eſſet, capite plexus: S. Petrus, quod Judæus, in crucem actus fuerit. Hoc ſupplicium maxime infame habebatur, & utplurimum, qui illud ſubituri erant, eorum & terga prius Cicero Verr. ult. virgis cædi, & latera candenti ferro facibuſque aduri ſolebant. Tormenta etiam publice admovebantur, atrocia illa quidem ſed non aliis fere, quam mancipiis viliſſimiſque homuncionibus pertimeſcenda. Ad hujuſmodi quæſtiones maxima ex parte referendi ſunt Ss. Martyrum acerbi cruciatus; nam extra ea tempora legibus Romanorum, uti noſtra etiam ætate ſit, prohibitum erat, cum reis, aut primũ de crimine poſtulatis durius agere. Itaque eadem ratione, qua alii ad confitenda

vera

vera crimina, Christiani ad ejurandum e- xistimatum crimen suæ religionis adige- bantur.

Tertul. Apol. c. 3.

Infimi quique homines ad metalli fo- dinas, quemadmodum nostro ævo ad trire- mes, damnari solebant; alias oblectandi populi gratiâ in Amphitheatrum producti bestiis objiciebantur; fortassis etiam certa singulis in provinciis suppliciorum gene- ra in usu erant, præter quæ nova inter- dum contra Christianos excogitata fuisse, præsertim ultimis in persecutionibus, ne- mo negáverit; neque enim existimo e- xemplum aliquod suppetere, quo demon- stretur, alias unquam personas præter Chri- stianas virgines in Lupanaria per vim ab- duci ac prostitui universis solitas fuisse. Fecerat nimirum castitatis apud Christia- nos insigne studium, ut novum hoc pœna- rum genus contra ipsos Ethnici invenirent. Tale enim illud erat, de quo S. Hierony- mus, Martyris cujusdam tormentum quem suprá mollem lectum amœno in loco alli- gatum inverecunda muliercula ad flagitiū sollicitavit, cui is præmorsam suismet den tibus lingvam, cum alia tela vibrare non posset, in perfrictam frontem exspuit. Ad extremum plurimi Martyres modis omni- bus excarnificati, ad demum occisi fuerunt, nullo legitimi judicii servato more, se- ditiosi tantummodo populi concursu, aut privatorum rabie inimicorum.

L. 8. §. 4. 5. & c § 11. ff. de pœn.

Hier. in vita S. Pauli.

Cæ-

Cæterum persecutiones hunc fere in modum cœptæ sunt. Promulgato palam edicto Christianorum conventus interdicebantur, certis in eos propositis pœnis, qui Diis sacrificare abnuerent. Eo veluti classico exciti Episcopi, datis ultro citroque litteris, de periculo alii alios certiores reddebant, atque ad congeminandas preces, populumque in fide confirmandum mutuo sese cohortabantur. Nec mora; Christianorum complures Redemptoris nostri consilium secuti, fuga se subducere: Pastorum & Sacerdotum alii in tutum etiam ipsi se recipere, alii commissi gregis amore in statione permanere. Pastores animarum & Præsules præcipua curá abdere se cogebantur; eoquod persecutores his conquirendis maxime intenti essent, utpote quibus de medio sublatis, grex totus facile dispergi posset. Quidam nomina sua permutabant, nonnulli numerata pecunia redimebant periculum, & hoc ipsum erat in bonis propriis aliquid pro Christo pati, eaque re Ethnicis Fideles demonstrabant, pluris se animas, quam fortunas suas facere. Non licebat per Ecclesiæ leges ultro se aut ad Martyrium sistere, aut Gentiles, idolis eorum dejectis, fanis incensis, superstitionibus publice impugnatis, aut ulla re alia de industria irritare. Non desunt quidem Exempla Martyrum, qui similia ausi fuere, maxime vero Christianos se esse, multi

Cypr. Epist. 15. &c.

Math. 10. v. 23.

Baron. An. 254 n. 10. V. Can. 14. Petri Alex. To. I. Conc. Orig. in Cels. 8.

etiam non rogati, judicibus sponte sua denunciarunt; sed ista speciali gratiæ divinæ instinctu gesta fuere. De reliquo celebre illud Ecclesiæ placitum erat, Deum tentandum non esse; sed patienter unicuique & modeste, dum deprehensus ab hostibus ad Judicem duceretur, præstolandum. Qua de re duæ inter se oppositæ hæreses vitandæ erant. Gnostici quidem & Valentiniani martyrium tanquam inutile explodebant, propterea quod Christus, ut nos a morte redimeret, mortem ipse jam perpessus fuerat; non animadvertebant videlicet, mortis genus, quo liberati a Christo sumus, animos non corpora spectasse. Imo injuriam hæretici illi Deo inferri exantlato martyrio dictitabant, nec verosimile videri, Deum, cum jam pridem sangvinem hircorum & taurorum rejecerit, humanum sangvinem probaturum esse. Contra vero Marcionistæ, carnis, malique Principii, a quo productam carnem dicebant, odio incensi periculis omnibus caput objectabant, Has ád regulas examinabátur accurate mortuorum pro fide causa, ut Martyrum honores decerni occisis tuto possent; eaque Canonizationum, ut nos vocamus, origo fuisse videtur

Constit. Apost. 5. c. 5.

Baron. An. 145 n. 3. & 10.

An. 205 n. 12. &c.

Tertul. in Scorpiaco c. 1

Baron. An 146 num. 12 Item An. 302 n, 126.

Comprehensi semel fideles Judici sistebantur, qui pro tribunali, ut supra dictum fuit, sedens eos rite interrogabat. Siqui Christianos se esse negarent, utplurimum

di-

dimittebantur. nulla alia quam proprii ipsorum testimonii desiderata probatione. Vulgo enim notum erat, veros Christianos fidem minime negare sique aliquando negarent, continuo Christianos esse desinere. Interdum tamèn, qui fidem negabant, ad fidem aliis majorem faciendam eo ipso in loco iubebantur seu verbo seu facto illudere. Sin vero Christianos se esse libere pronunciabant, machinæ omnes admovebantur ad ipsorum labefactandam constantiam. Rationibus primum, deinde pollicitationibus tum minis, ac denique tormentis sollicitabantur ad defectionem; fraudibus etiam & dolis suus erat locus, ut saltem ab invitis & imprudentibus actionem aliquam Gentiles elicerent, quæ speciem idololatriæ haberet, qua commissa Fideles existimarent, non posse se amplius pedem referre, & quæ facta jam essent, infecta reddere. Itaque cum in foro locisque publicis, ubi judicia exercebantur, nunquam idola & altaria deessent: eo adductis Christianis Thus & ardentes prunæ in manus imponebantur, quas supra aram extentas tenere per vim debebant, ùt sic doloris sensu permoti, excussis supra áram prunis & thure, falsis Diis adolevisse viderentur; & eránt, qui comburi manus malebant, quam scandali vel umbram pusillis præbere. Alias óre diducto frustum carnis aut vini guttæ aliquot, quæ prius dæmo-

Can. 14. Petr.

nibus

dæmonibus oblata erant, immittebantur; verum probe norant Christiani, *non quod intrat in eos, sed quod procedit de ore, & de corde exit, coinquinare hominem* Alex. Tom. Conc. Matth 15 v. 11 & 18.

Tormentorum consveta genera hæc ferme erant. Extensis supra eqvuleum corporibus, manus pedesque funibus ligabantur, qui funes trochleis hinc átque hinc inserti adduci in altum & demitti poterant; alias manibus sublime protensis, pedibusque ferri áut lapidum pondere prægravatis, medii cœlum inter & terram suspendebantur; alias virgis, fustibus, loris, scorpionibus & plumbatis cædebantur. *Scorpiones* dicebantur flagella, quæ in ferreos aculeos desinebant; *Plúmbatæ* autem nominabantur scuticæ, quárum extimæ parti plumbea pila insuta erat. Hac verberum grandine complures oppressi & extincti fuerunt. Ali porro facibus & laminis ardentibus, alii uncis & ferreis pectinibus fædum in morem ita dilaniabantur, sæpe ut nudatæ carnibus costæ, & costis distractis, intestina ìpsá prominerent; hoc etiam tormenti genere in interiora grassante non pauci exanimati sunt. Ad augendum doloris sensum sale & aceto cruda vulnera interdum condiebantur, sique cicatricem ducere inciperent, infestis ungvibus refricari solebant.

Inter hæc tormenta Christi Confessores perpetuis interrogationibus urgebantur.

Quidquid ſive Judex rogaret, ſive interrogati reſponderent, a tabellionibus ad verbum excipiebatur multo accuratius, quam a publicis Nótáriis in cauſis capitalibus hodiedum fieri ſoleat Artem enim Veteres callebant, notis compendiariis ſcribendi, quarum ſingulæ totidem voces, imo ſententias integras referebant; hac inſtructi loquentes ipſos calami celeritate aſſequebantur; hac de arte vide Baronium docte differentem, ubi etiam ex Martiale de Notario Epigramma affert:

Vide Baron. ad An. 238. n. 2. &c. Mart. l. 14. Epigr. 179.

Currant verba licet, manus eſt velocior illis,
Nondum lingua ſuum, dextra peregit opus.

Verba ipſa Dialogi in modum litteris conſignabant, contra quam noſtri Scribæ aſſolent, cum ſummatim & veluti de tertia perſona loquentes ejuſmodi cauſas in acta referunt.

Codices iſti *Acta* nominabantur, quorum Exempla Chriſtiani ſolicite conquirebant, ut partim ex iis, partim ex circumſtantiis, quas ipſi ſuis oculis auribuſque accepiſſent, inſtrumenta publicá conficerent, quæ ad perennem memoriam certaminum SS. Martyrum in Eccleſia conſervarentur. Id Romæ præſertim in more poſitum erat; & S. Clemens Papa ſeptem Notarios Apoſtolicos delegerat, quorum

Lib. Pontif.

ſingu-

singulis duæ urbis regiones áttributæ erant, ut res ibidem gestas scripto mandarent. Potissima pars ejusmodi Actorum in persecutione Diocletiani periit; etiam Epitome Eusebii Cæsariensis, qui eorum complura collegerat, interiit. Nomina tamen illustriorum Martyrum in Menologiis & Martyrologiis conservata fuere, adnotatis ibidem locis ac diebus, in quibus coli quemlibet Martyrum, moris esset. His Martyrologiis progressu temporis alii Sancti, licet Martyres non essent, adjuncti fuerunt. *in Clem.*

In hujusmodi quæstionibus sæpe Christiani ad complices denunciandos, & proferendos sacros Codices compellebantur. Complicum nomine cum cæteri Christiani, tum maxime Episcopi, Presbyteri & illorum individui comites Diaconi intelligebantur. Diocletiani potissimum tempore sacris libris bellum ab Ethnicis indictum fuit, credentibus, certissimam viam abolendæ Christianæ fidei esse librorum illorum jacturam. Hos igitur libros Ethnici summo studio indagabant, Ecclesiis etiam ac privatis ædibus excussis, denique repertos flammis exurebant. Verum hæc omnia Christiani perinde ac suas fidei mysteria altissimis tenebris ác silentio involvebant. ne tamen nihil omnino ad quæsita responsi darent, nullo hominum nominato, præcise dicebant, Deo Præcepto- *Acta Cirten. An. 303* *Acta Mart.*

Alutin. ap. Baron An. 203. n. 25. Et An. 204. n. 10. re & adjutore se in complectendá fide usos fuisse, Scripturas vero sacras pectori suo insculptas frustra alibi perquiri. *Traditores* appellabantur, quotquot aut divinos Codices, aut fratres suos Pastoresque Ecclesiæ Gentilibus proderent. Demum paucula verba, quæ Christianis attrocissimi cruciatus interdum exprimebant, non alia erant, quam quæ Dei laudem & misericordiæ atque opis divinæ implorationem sonârent

CAPUT XV.

Carceres Christianorum.

SEcundum eas interrogationes, qui in fide Christiana persistebant, ultimis suppliciis addicebantur. Sæpius támen in carcerem denuo conjecti, mora ipsa temporis & tormentorum iteratione ad nova certamina reservabantur. Quánquam ipsi carceres ejusmodi erant, ut pro tormenti novo genere haberí possent: nihil illis obscurius, nihil graveolentius; eo cómpingebantur JESU Christi Confessores manibus pedibusque fero constrictis; ligno etiam ex collo suspenso pedicisque iniectis, aut cruribus divaricatis supini jacebant, atque a sese mutuo sejuncti. In-
Prud. Peristeph. terdum carceris solo fictilium vasorum ac vitri fragmentis consito nuda corpora pla-

gisque

gisque recentibus hiantia imponebantur; alias plagis ipsis in ulcus degenerare & computrescere permissis, squallore & inedia conficiebantur; alias e contrario solicite curabantur reficiebanturque, ut ad nova pœnarum genera superstites essent. Utplurimum nulli hominum, ac sæpe ne custodibus quidem loqui cum captivis licebat; experimento quippe Gentiles didicerant, suorum multos a Christianis eo in statu converti solitos esse. Demum subinde cárcerem intrare & alloqui captivos illi jubebantur, qui ipsos a sententia animique firmitáte dimovere possent; hujusmodi erant parentes, liberi, conjuges, quorum lacrymæ & singultibus interruptæ perorationes novum tentamenti genus erant, multoque ipsis cruciatibus periculosius.

Hymn. 4 de S. Vinc. & alibi.

Acta Ss. Perpetuæ & Felicitatis.

Interea temporis Ecclesia Dei præcipua cura fovendos suscipiebat Sanctos in carcere detentos, *de uberibus suis* quemadmodum Tertullianus loquitur, ipsis ministrans. Ad eos frequenter invisebant Diaconi, ut necessaria vitæ subsidia solatiaque afferrent, atque internuntiorum partes obirent. Alii quoque Fideles, si quidem integrum esset, ad eos accedere, consolári, animos addere, felices illorum pænas deprædicare, partem sibi illarum aliquam expetere, osculari vincula, vulnera obligare, lectis, vestibus, cibariis, omni-

Tertul. c. 1. ad Mart.

Constit: Apost. 5. c 2.

Cypria Epist. 11.

Tertul. 2. ad Ux. c 4. Idem. de jejun. c. 12. omnibus denique vitæ commoditatibus usque adeo recreare, ut Tertullianus aliquando conquestus fuerit, laute nimium & delicate in custodiis vivi. Nec sumptibus ullis, nec solertiæ parcebatur in juvandis captivis; si intro penetrare aliter non licebat, argento aditum sibi Fideles aperiebant, nec verbis asperioribus, nec verberibus inde submoveri se patiebantur; noctes persæpe integras ante vestibulum carceris excubabant, intenti in omnem occasionem incredibili suæ charitati faciendi satis. Ubi demum subeundi carceris facta copia erat, cum illi locum tanquam præsentia tot Sanctorum veluti consecratam Deoque dicatam venerati Ædem, præcationibus ibidem atque adeo sacrosancto Missæ Sacrificio operam dabant, partim ad consolandos Christi Confessores; ne videlicet Corporis & Sangvinis Christi præsidio destituti vita excederent; partim suamet causa, ut nimirum Episcopi aut Sacerdotis captivi operá divinæ Eucharistiæ participes fierent, illamque in suas quisque ædes deferre possent. In ejusmodi rerum articulo nihil non adhibebatur, quod ad propositum finem pietatis utrumque faceret. Fuere Episcopi, qui altari destituti supra manus Diaconorum Christi Corpus conficerent; & insignis ille Martyr S. Lucianus Antiochenus cum ferro gravis, vinculisque im-

Epist. 5. & 9.

peditus commovere se loco non posset, suomet pectore pro altari usus fuit. Quanta porro exhortationum, quæ inter Divina ibidem fiebant, vis & efficacia esset, facile quivis existimaverit. Universa Ecclesia Sanctos illos captivos veluti demissa cœlitus in vertices ipsorum corona jam jam insignes suspiciebat; apud Episcopos etiam plurimum valuit ipsorum auctoritas ad postulandam nonnullis veniam, qui suppliciorum acerbitate fracti ad sacrilegos ritus defecerant, adeoque invaluère istiusmodi deprecationes, ut modum illis poni, propter aliquorum in intercedendo nimiam facilitatem, necesse fuerit.

Acta apud Baron. An. 311. Cypria Epist. 10. 11. & 12.

CAPUT XVI.

Cura sacrarum Reliquiarum. Item de Confessoribus.

NEc solum ad carceres, verum etiam ad supplicii locum Christiani vinctos in Domino intrepidi sequebantur per fora & compita, imo extra portas urbis, ubi plerumque extrema de condemnatis sumi supplicia solebant. Sane Martyrũ quamplurimi tormentis seu naturali seu divina virtute superatis, capitis amputatione vitam finierunt. Ad hoc spectaculum Fideles, ubi ubi ederetur, turmatim confluebant, ut precibus suis & præsentia

Mar-

Martyres erigerent, animoſque pro ſe quiſque ipſorum exemplo majores ſumerent. Solicite inprimis manantem ex vulneribus cruorem linteolis ſpongiiſque ſubjectis excipiebant, quem ſubinde in phialas collectum prope oſſa ipſorum in ſepulchris conſervabant. Conſtat ex Martyrologio Románo ſeptem pias fœminas, quæ diſtento ſupra equuleum Divo Blaſio ſangvinis guttas collectum ibant, eam ob rem morte mulctatas fuiſſe; conſtat præterea Sancti Cypriani abſciſſo capite, lintea a Chriſtianis circumpoſita fuiſſe, quæ pretioſum ſangvinem conbiberent. Fidenter etiam nec ſine præſenti capitis periculo Martyrum corpora de terra levabant, vel potius corporum collectas reliquias; ſæpe enim corporibus ſeu flamma conſumptis, ſeu beſtiarum furore diſcerptis, voratiſque carnibus, præter oſſa & cineres reliquum erat omnino nihil. Nec impenſarum habita eſt ratio, quo tam pretioſa lipſana a lictoribus redempta cum honore conderentur.

Marty Rom. 3. Feb.

Pont, Diac. in vitâ

v Acta SS. Tharacii &c An. 290 Et S Bonif. An. 305.

Incredibile dictu eſt, quantum ea cura Reliquiarum inflammarit Gentilium furorem ad diſſipanda exterminandaque Martyrum cadavera, præſertim quod crederent iis diſperſis plurimum imminutum iri ſpem reſurrectionis. Suſtentatis vos equidem, inquiebant ad Fideles Ethnici, blanda ſpe, futurum aliquando, ut cor.

Euſeb in Ep. Eccl. Vienn L. 5. c. 1.

pora

pora vestra animis denuo conjungantur, intereaque fœminarum opera, quaspræstigiis vestrîs fascinastis, corpora contra tabem & putredinem aromatis condienda, & serico auroque involvenda esse speratis. Nos vero spes istas præclare scilicet fovebimus. Et sane corpora Martyrum Gentiles modo bestiis devoranda objiciebant, modo cum gladiatorum aut reorum cadaveribus permiscebant; alias vero suspensis e collo prægrandibus saxis in aquas demergebant; denique combustis interdum corporibus cineres ipsos in aera dispergebant. Verum nequicquam adhibita multiplex hæc cautela fuit, Martyrum Reliquiis partim Christianorum diligentia, partim Dei ipsius prodigiosa ope maximam partem ab interitu vindicatis.

Act. SS. Thara &c. An. 290. n. 30. Prud Hymn. de S. Vinc.

Reliqui captivi, qui supplicio mortis affecti non fuerunt, vel alio quocunque relegabantur, vel illo exilii genere mulctabantur, quæ *Deportatio* a Romanis dicebatur, & mortem civilem afferre solebat. Amandabantur autem in insulas prope inhospitas, aut in barbaricas regiones Romano Imperio confines. Primi generis relegatio ad personas illustris conditionis spectabat; deportatio vero ad inferioris notæ homines, qui ad opus faciendum, & præcipue ad fossorum labores condemnabantur. Isti publica erant mancipia, compedibus vincti, a victu & vestitu pessime

Cyprian. serm. ad Mart.

fime

Conſt. Apoſt. 5 c. 1. & 3.

ſime inſtructi, verberibus ſæpe etiam crudeliter accepti, verbo, damnatis ad triremes calamitate & ærumnis ut minimum pares. His etiam a Chriſtianis peculiari charitate ſubventum eſt, allevatæque, quoad licebat, exilii moleſtiæ. Quotquot eo in ſtatu vita defungebantur, inter Martyres numerabantur; qvi vero exilio áut ſervitute liberati ad ſuos ſeſe recipiebant, Confeſſorum inſerebantur albo. Nominis hæc prærogativa illis omnibus communis erat, qui propter fidem dura & aſpera pertulerant, vel certe fidem ipſam palam ác libere coram Judice profeſſi erant, iſtos cæteri Fideles ſummi honoribus, quoad viverent, proſequebantur, ſacris non raro Ordinibus in præmium conſtantiæ ipſis collatis.

CAPUT XVII.

Excommunicationis & Pœnitentiarum uſus.

Conſt it: Apoſt. l. 5. c. 4.

QUi perſecutionum durante procella fidem abjecerant, ſive animi imbecillitate, ſive tormentorum intolerantia id feciſſent, niſi crimen ſuum publicis pœnis expiarent, ab Eccleſia excommunicabantur. Iſto anáthemate perculſi non ſolum a Sacramentorum uſu, ſed etiam ab ingreſſu Eccleſiæ & Fidelium conſve-

tudi-

tudine penitus excludebantur. Cum talibus nec cibum sumere Christiani, nec sermones miscere substinebant, sed tanquam peste infectos devitabant; imo studiosius id hominum genus a suo consortio removere Christianos Apostolus jubet, quam ipsos infideles, quorum omnem plane consvetudinem, nisi qui mundo vitaque exire vellet, tunc temporis fugere Christianus neutiquam poterat. In hunc modum agebatur non modo cum Apostatis, verum etiam cum hæreticis & schismaticis ac publicis peccatoribus. Solis propemodum Episcopis ac Presbyteris fas erat cum ipsis agere, ut ad pœnitentiam sacrilegæ defectionis, siqua spes affulgeret, illos excitarent; cæteri tamen Fideles non intermittebant lapsos in suis precibus Deo accurate commendare. Sic tractabantur, qui pœnis Ecclesiasticis ultro se submittere abnuebant. 1. Cor. 1. v. 9.

Qui vero facti pœnitentia ducti ad expianda rite peccata sese paratos offerebant, magna cum charitate nec minori circumspectatione admittebantur. Primo quidem proponebatur illis beneficii hujus magnitudo, haud ita facile promiscueque omnibus conferendi; deinde ad faciendum periculum sinceræ solidæque penitentiæ ipsa admissio data opera protrahebatur; Tum demum in Ecclesia omnibus inspectantibus certæ pœnæ injungebantur. Pec-

cator

cator pœnitens cilicio indutus & cinere conspersus in media Fidelium corona mæstus ac sordidátus humi provolvebatur, pedesque Christianorum complexus oscula illis figebat, quo ipsos ad commiserationem Deique conciliandam sibi misericordiam flecteret; his Episcopi ardens & accommodata tempori cohortatio subjungebatur. Varia erant & diuturna, quibus subinde exercebantur, pœnitentiæ opera, jejunia nimirum alias quotidiana, álias sæpius iteranda, non alio quam pânis & aquæ permissio usu, aliove abstinentiæ genere imperato pro mensura virium corporis, delicti, & fervoris, quem pœnitens palám ostendebat. Prolixæ etiam precationes, de genibus aut prono in terram corpore persolvendæ, eleemosynæ, item vigilæ, brevisque & supra pavimentum carptim libandus somnus præcipiebantur. Quamdiu status iste luctus & pœnitentiæ tenuit, abstinendum erat a congressu hominum, a negotiis, a consvetudine cum ipsis Christianis non omnino necessaria, multoque magis ab omni genere oblectationum. Ecclesiam intrare, nisi doctrinæ audiendæ & orationis causa, non licebat; Sacrificio enim Missæ toto illo tempore abesse iubebantur.

Tertul. de pud. c. 13.

Interea Episcopus pœnitentem per se ipse invisere, vel Sacerdotem aliquem ad eos mittere solebát, qui hominem exa-

mi-

minaret, ejusque arcanis animi sensis ac curate pertentatis, non uno quemlibet eodemque modo tractare sciret. Nam ad fiduciam aliqui excitandi erant, alii salutari timore concutiendi, alii denique consolatione aliqua permulcendi, medicamentis ad ægrorum & ægritudinem rationes accommodatis. Revera enim hæc publicæ pœnitentiæ opera tanquam animorum pharmaca Episcopi tractabant, minime nescii, ad curandos animi morbos, si non majori, certe nihilo minori quam ad sananda corpora circumspectione, scientia, patientia & solicitudine opus esse neque aliter quam diuturno & diligenti magisterio depravatas hominum affectiones corrigi posse. Jam inde a primis illis sæculis certi pœnitentiæ gradus constituti erant, & temporis, quod in singulis ponendum erat, definita spatia; cæterum Episcopi prudentiæ relinquebatur, ratione pœnitentis habita, tempus hoc laxare aut contrahere. Illud præcipue cautum erat, ne prius Ecclesiæ communioni penitus restituerentur ejusmodi homines, quam fructus dignos pœnitentiæ fecissent, suæque conversionis specimina, quantum quidem humana conditio patitur, certa explorataque edidissent. In universum tamen pœnitentiæ præscriptum tempus bene longum esse solebat, nisi peculiaris quædam & gravis causa, uti pœnitentis singularis fervor, morbus lethalis,

Constit. Apost. l. 2. c. 41.

Epist. Can. S. Greg. Thaum. Cypr. Epist. 10. Epist. Can Petri Alex.

S. Cyp. Epist. 51. aut ingruens nova persecutio, aliud postularet. Illud vero nunquàm non curábatur, ut nequis Sacramentis destitutus mori permitteretur. Porro gratiæ hoc genus, quo pœnitentiæ assignatum tempus contrahi solebat, Christiani *Indulgentiam* appellabant, quam sæpenumero Confessorum in carceribus, aut Sanctorum in exilio commorántium deprecatio impetravit.

Quodsi eo durante statu novo scelere se alligabat pœnitens, a capite retexenda erant pœnitentiæ opera; si ne tunc quidem proficere in melius, moresque corrígere observabatur; in statu pœnitentiæ permanendum usque erat, quin Sácrámentorum copia ipsi foret. Si denique semel a crimine absolutus aliud perinde enorme publicaque pænitentia dignum admitteret, a pænitentia iterato agenda excludebatur; qua de re Augustinus monet, caute salubriterque provìsum esse, ut locus pœnitentiæ ejusmodi exterioris semel tantum in Ecclesia concederetur; ne *medicina vilis minus utilis esset ægroto, quæ tanto magis salubris est, quanto minus* (ipsa vigelicet iteratione) *contemptibilis fuerit*; non desinebant tamen Fideles pro talibus preces fundere, & ad seriam emendationem cohortari Erant quædam crimina, quorum publica expiatio quantumvis accurate facta totam vitam durabat, qua exácta nonnisi in articulo mortis Euchàristia pænitentibus

August. Epist. 54. ad Maced.

imper-

impertiebatur. Qui semel pœnitentium ordini adscripti erant, etsi absoluti ab ea in gratiam cum reliquo cœtu Fidelium rediissent, nihilominus ad Ordines sacros & munera Ecclesiastica perpetuo inhabiles erant; Clerici autem propter sua flagitia solum deponebantur, ipsaque depositione veluti in ordinem laicorum redacti nulla alia pœna castigari solebant, partim Sacramenti Ordinis reverentia; partim ne bis in idipsum animadverteretur.

Canon. Apost. 17. ap. Turrian.

Siquis fortasse antiquissimam hanc Ecclesiæ disciplinam mirari velet, is secum, quæso, reputet crimina, quæ publica Ecclesiæ animadversione digna essent, raro admodum per ea tempora commissa fuisse. Quemadmodum enim perraro accidit, ut ingenue educati homines, auctoritate insuper & opibus florentes capitalem fraudem admittant; ita nihil infrequentius apud Fideles erat, tanto delectu ad fidem admissos, tam diligenter institutos & excultos, quam adulteria, homicidia aliaque morte pianda scelera perpetrare. Sane Tertulianus fidenter & palam Gentilibus exprobrat, habere ipsos ergastula, plena hominibus sui similibus, Ethnicis nimirum & facinorosis; qui vero inter captivos Christiani essent, nullius veri sceleris insimulari posse, vel certe si sceleris alicuius rei forent, Christianos haud amplius censeri debere: De vestris (sicariis, prædonibus, corruptori-

Apolog c. 44. in fine.

bus

bus, nocentibus, verbo, idololatris) *semper æstuat carcer, de vestris semper metalla suspirant; de vestris semper bestiæ saginantur, nemo illo Christianus, nisi hoc tantum* (id est: nisi solo Christiani titulo accusatus) *aut si & aliud; jam non Christianus*, Hucusque Tertullianus, qui capite proxime sequenti necessariam Christianis innocentiam esse asserit, rationemque

Ibidem c. 45. initio

affert his verbis: *Innocentiam a Deo edocti, & perfecte eam novimus, ut a perfecto Magistro revelatam; & fideliter custodimus, ut ab incontemptibili dispectore* (hoc est, a Judice summe verendo) *mandatam.*

CAPUT XVIII.

Ascetæ, Virgines, Viduæ, Diaconissæ.

ERant inter Christianos, qui voluntariis corporum susceptis afflictátionibus omnia pœnitentiæ munerá obirent, etsi ad ea neque obligábantur, neque propter illorum usum a sacrorum communioné arcebantur. Isti Prophetas & magnum pœnitentiæ Præconem Joannem Baptistam imitaturi, de Apostoli consilio castigabant corpora, & in servitutem redigebant, exercentes se ipsi ad pietatem, eamque ob causam *Ascetæ*, id est, *exercitati* nominabántur. Hi domi utplurimum se tenebant,

1. Tim. 4. v. 7. 1. Cor. 9, v. 26.

soli-

solitudinis mire amantes, ibidem abditi & abstrusi ad consvetam Christianorum frugalitatem severiorem in cibis abstinentiam, & crebra jejunia ultro adjungebant, Xerophagia sive aridi panis fructuumque siccorum esu se sustentantes; biduo triduoque, interdum etiam hebdomade integrâ soliti inediam tolerare; adhæc cilicio se nunquam exuebant; humi cubabant; vigilias producebant, sacros Codices assidue volutantes, & prope indesinenter precibus fundendis occupati. Hujusmodi vitæ institutum Origenes aliquamdiu secutus fuit, multique ex ea disciplina prodiere cum Sanctissimi Antistites, tum celeberrimi Doctores. *Euseb. l. 6.*

Ascetæ omnes continentiam colebant, reliqui vero Christiánorum virtutem hanc pro eo, atque commendata Fidelibus a Christo & Apostolis erat, plurimi faciebant Antonino Pio Imperatore Alexandriæ adolescens quidam erat, qui supplice oblato libello a Gubernatore Urbis petiit, ut chirurgi opera liceret sibi Eunuchum fieri. Similia huic complures facere nòn dubitabant, ut adeo speciali lege in Concilio Nicæno sancita inconsiderato huic zelo occurrendum denique fuerit. Præterea innuptarum ingens numerus erat, quæ virginitatis suæ florem Deo rite sacrabant seu párentum hortatu, seu animi sui voluntária inductione. Hæ quoque asceticám vi- *Justin. orat. ad Anton. pium. Can. Nicæn. 1.*

tam degebant; nihili enim virginitas ipsa ducebatur, nisi eam silentium, secessus, paupertas, labores cæteraque superius recensita pœnitentiæ opera, uti rosam spinæ, amarent; nec virginum albo illæ inscribebantur, quæ oblectamentis quantumlibet noxa vacuis affici, hominum frequentare congressus, verborum lepores officiosasque in agendo blanditias affectare, denique elegantem & experrectam indolem muliebriter ostentare solerent. Multo etiam longius a veræ virginitatis laude aberant, quæ in forma corporis castiganda limandaque identidem occupatæ, ungventis, trabeatis vestibus, molli fractoque incessu adhuc delectabántur. Divus Cyprianus ad Virgines Christianas scribens, nullám fere aliam rem illis commendat & inculcat, quam ut varis ornamentis, quæ ad illustrandam muliebrem pulchritudinem facerent, nuncium penitus remittant. Noverat videlicet vir sapientissimus, quam in eam levitatem natura sua proclivis ille sexus esset, quámque multorum ea vanitas malorum esse radix & origo soleat. Sub prima illa temporá Deo dicatæ Vigines paterna in domo habitabant aut omnino solitariæ, aut duabus tribusve Virginibus associatæ. Inde pedem efferebant nunquam, nisi cum adeunda esset Ecclesia, in qua separato ab aliis loco morabantur; siqua illarũ interdum nuptiarum causa a proposito suo resi-

Cypria. ad Virgin.

resiliebat, publica ipsi pœnitentia imperabatur.

Jam viduæ, quæ primo coniuge elato secundis nuptiis valedixerant, haud aliter fere quam Virgines ipsæ reliquam vitam exigebant, jejuniis, orationi, cæterisque asceticæ vitæ exercitationibus intentæ. Publico tamen non perinde ut Virgines abstinebant, propter opera & ministeria externa, in quibus earum in proximos charitas plurimum versabatur; vidisses illas, nunc ægrorum lectulis assistere, nunc captivos maxime vero Confessores aut martyrio coronandos visitare; alias pauperibus subvenire, hospitio peregrinos excipere, sepelire mortuos, omnia denique misericordiæ opera complecti. Nuptæ etiam mulieres in partem tam pulchri laboris veniebant, nunquam ferme domo egredi solitæ, quam ad preces in Ecclesia communiter persolvendas, aut ad bene de proximis merendum. Viduæ tamen, quod ab aliis curis magis solutæ ac liberæ essent, charitatis huic officio totas se impendebant; si opibus abundarent, easdem in pauperum usus erogabant; si vero ipsæ indigerent, ab Ecclesia sustentabantur. *Tertul. ad Ux. l. 2. c. 4.*

In Diaconissas eligebantur *Viduæ non minus sexaginta annorum*, & quod supra excurrit, quæque sapientiæ & in proximos beneficentiæ fama cæteris præstabant. Non nunquam Virgines huic eidem muneri *1. Tim. 5. v 9. Const. Apost.*

l. 3. Item l. 6 c. 17. præficiebantur. Solebant autem *Diaconissæ* appellari; non quod inter Clericos numerarentur; nullius enim vel remoti gradus ad Sacerdotium capax iste sexus est; sed quod erga fœminas Diaconorum ipsorum partes aliquas obirent. Singuli enim sui sexus personas adibant, quas inopia, ægritudo aliave calamitas Ecclesiæ cura speciatim dignas fecerat. Porro Catechumenas instituebant, vel potius Catechistæ institutionem repetebant, easdem ad sacrum deducebant fontem, inque ponendis vestibus ac subinde recipiendis operam suam conferebant; recenter Babtismo tinctas apud se aliquamdiu tenebant, quo eas ad vitæ Christianæ normam magis magisque excolerent. In Ecclesiis, quá parte fœminæ intrabant, fores a Diaconissis custodiendæ erant, & suus singulis assignandus locus, in quo cum silentio modestiaque unaquæque versaretur. Officii quoque sui rationem Episcopo, vel Episcopi jussu Presbyteris aut Diaconis reddere debebant, quod eo potissimum spectábat, ut certiores ipsos redderent de reliquarum mulierum statu & quod commode per se ipsi facere viri Ecclesiastici propter sexus discrimen non poterant, id vicaria opera ipsæ effectum darent.

Multa profecto patientia & circumspectatione Præsulibus Ecclesiæ opus erát, ut fœminæ istæ omnes in officio continerentur;

tur; curandum, ut Diaconissæ moderate omnia, & contra quam provectior ætas ferret, alácriter agerent; prospiciendum etiam, ne vel credulæ nimis & plus justo indulgentes, vel ex adverso nimium tetricæ, difficiles, turbulentæ curiosæ atque litigiosæ essent, ne catechismi obtentu pro sapientibus ac spiritus Magistris sese gererent; ne mysteria fidei temere divulgarent; verbo, ut in loquendo & agendo modum tenerent. Magna item charitate opus erat ad cæterarum viduarum áliarumque defectus mulierum sive corrigendos, sive perferendos, cujusmodi erant tristitia, livor, æmulátiones, querimoniæ, obtrectationes in ipsos etiám Ecclesiæ pastores, denique quidquid malorum ac turbarum sexus & ætatis infirmitas progignere poterat; præsertim ubi morbi, paupertatis aut alterius cujusdam ærumnæ incommodum accederet. *Chrys. de Sacerdot. Constit. Apost. l. 3. c. 5. &c.*

CAPUT XIX.

Pauperum cura.

Liberaliter Ecclesia pauperibus, cujus cunque demum ætatis ac sexus essent, prospiciebat; pauperum tamen in numero non censebántur male feriati homines, qui victum manu quærere, si vellent, possent. Istis enim per vires adhuc vegetas lice- *Constit. Apost. l. 2. c. 4. & l. 4. c. 1. 2. &c.*

bat

S. Basil. reg. fus. interp. 42. bat non tantum a se amoliri paupertatem, sed aliorum etiam inopiam levare. Nam boni Christiani munus illud esse credebatur, ut non contentus quilibet labore manuum ad semet sustentandum necessario, aliis etiam, qui laborare non valebant, operam suam utiliter commodaret. Aliunde *L. 7. Cod. de Mend. Val.* etiam lex civilis robustos, & bene valentes mendicos non ferebat. Hujusmodi homines si liberi erant, servitute imposita, *L. 11.* quae tum temporis plurimum in usu erat, ad opus ruri faciendum tanquam Reipublicae mancipia admovebantur; sin vero servi essent, venum ibant. Idem infantibus expositititiis fiebat, quos qui alendos in se suscipiebat, hoc ipso faciebat suos. Igitur mendici nulli ferme occurrebant, quam mancipia & servi senio confecti, quos ad solitum laborem ultra ineptos dominorum inclementia destituerat, caeci item, aut alia corporis parte mutilati malleve affecti,

Hos omnes vere pauperes Christianorum charitas complectebatur. quorum seriem *Prudent. Peri-steph.* non ineleganter Prudentius describit, cum eos veluti Ecclesiae thesauros Praefecto Urbis Romanae a S. Laurentio praesentatos *Constit. Apost. l. 4 c. 1. 2.* in medium affert. Nec minor Christianos infantum cura tenuit, orphanorum nimirum, quorum parentes Christiani atque adeo Martyres erant, item expositorum & reliquorum omnium, quotquot acquirere pote-

poterant, ut eos in fide Christiana educarent. Hoc unum videlicet propositum Fidelibus erat, ut occasione servandi corpora bene utentes, ánimos Christo lucrarentur. Eandem ob causam in ipsis misericordiæ operibus exhibendis certus ordo servabatur: Ethnicis enim Christiani, & inter ipsos Christianos probiores cæteris præferebantur, improbis, quorum desperata erát emendatio, sibi relictis. Ne eleemosynæ quidem promiscue ab omnibus admittebantur; oblata enim ab excommunicatis, usurariis, adulteris aliisque publicis peccatoribus subsidia Christiani recusabant, satius ducentes, exponere pauperes periculo alicujus in rebus cæteroqui necessariis indigentiæ, seu potius divinæ providentiæ innixi, qua aliunde allatum iri necessaria sperabant, quam ut a perditis hominibus stipem acciperent. Quælibet Fidelium Congregatio ingentem pecuniæ summam certosque reditus collegerat alendis pauperibus, peregrinis excipiendis, mortuis sepeliendis, cæterisque impensis publicis faciendis, quas Clericorum sustentatio, & templorum sacra supellex, aliaque id genus exposcebant Quo tempore S. Cornelius Papa Ecclesiæ Romanæ præerat, Clerici in Urbe centum & quinquaginta quatuor, pauperes vero & ægroti sesquí mille & amplius a Fidelíbus sustentabantur. Imo ex quo fundáta jam erat

Constit. Apost 4. c. 5. &c.

Baron. An 44. n. 68. &c Tertul. Apol. c 39.

Euseb. l. 6. hist. c. 35.

erat Romana Ecclesia, quamdiu persecutiones durarunt, nunquam destitutum est, cum aliarum Provinciarum laborantibus Ecclesiis, tum ad metalla damnatis Confessoribus mira solicitudine magnisque pecuniæ subsidiis subveniri. Ista Ecclesiæ communia bona primis tribus sæculis non aliis ferme rebus constabant, quam domestico instrumento, annona, vestibus & numerata pecunia partim collectis, partim coemptis ex eleemosyna Fidelium, quam isti singulis hebdomadis, mensibus aliasve, quoties liberet, sponte obtulerant. Nam erogandæ stipis neque modus præscriptus erat, neque vi aut imperio ad ejusmodi collectas Christiani adigebantur. Cæterũ fundi, prædia & possessiones tempore persecutionum neque acquiri poterant, neque olim acquisita diu conservari. Atque hi erant Ecclesiæ thesauri, quibus tam avide inhiabant Gentiles, ut eorum cupiditate incensi, ingentes adversus Christianos turbas moverent, quemadmodum in vita Divi Laurentii prolixe describitur. Diaconis eorum bonorum commissa erat cura. Hi pro munere suo tenebantur, quidquid communibus Ecclesiæ procurandis commodis afferebatur, recipere, seponere, custodire, & ex Episcopi arbitrio ad quem de privati cujusque indigentia referendum erat, distribuere. Jllud etiam Diaconorum munus erat, ut in aliorum ino-

Epist. Dionys. Corin. apud Euseb. l. 4. hist. c. 22.

Prudent. Perist. hymn. 2. Baron. An. 34. n. 227

Constit. Apost. 3. c. 19.

piam

piam ipsi inquirerent, ut Clericorum, Virginum, Viduarum, pauperum denique omnium nomina in commentáriis, quos matriculas vocant, descripta haberent, istorum enim omnium cura ad Ecclesiam pertinèbat; porro ut eos, qui in supradictorum numerum admitti flagitabant, prius examinarent, admissorum autem mores & vitam diligenter observarent. Verbo, in omnem partem prospiciendum erat, ne indignis tanta Ecclesiæ beneficentia impenderetur: neve peregrinis hospitia & piorũ hominum liberalítas deesset. Siquid Laici Epíscopo significare, aut ab eodem efflagitare vellent, quem tamen personæ reverentia, aut molestiæ creandæ metu corãm alloqui verebantur, Diaconos adire solebant, iis pro internunciis usuri; ex quo liquet Diaconorum provinciam oppido negotiosam fuisse; sæpe enim per compita civitátum ultro citroque commeandum, interdum etiam in alias cívitates suscipienda profectio erat, eamque ob causam nec pallio, nec alio in terram usque defluente vestitu, uti Sacerdotes, sed brevioribus vestimentis & Dalmáticis utebantur, quo expeditiores ad actionem essent.

Constit. Apost. l. 2. c. 28.

Constit. Apost. l. 2. c. 57

CA-

CAPUT XX.

Hospitalitas Christianorum.

**. lib. de test. hospit.*

IPsis adeo Gentilibus commendata & familiaris hæc virtus fuit. Apud Græcos & Romanos diversoria publica solis ferme pauperum usibus serviebant; honestiores enim & abundantes viri in singulis prope civitatibus, ad quas negotiorum causa per annum aliquoties eundum erat, amicos habebant suos, a quibus privatis in ædibus excipiebantur, quosque illi, cum ad suas civitates divertere contingeret, mutua hospitalitate excipiebant, eratque veluti jus quoddam hospitalitatis, quod in certis familiis perpetuabatur, unumque inter præcipua vincula, quibus Græciæ civitates cum Italicis arcta consvetudine copulabantur, quæ consvetudo successu temporis per universum Romanorum Imperium propagata fuit, & tanquam Religionis quædam pars a Gentilibus accurate observata. Isti enim Jovem suum Hospitalem Deum faciebant, qui huic rei unice præesset; hospitem vero ipsum mensamque, cui is accumbere solebat, pro re sacra habebant.

Minime igitur mirum videri cuipiam potest, si Christiani quoque in ea colenda virtute multi essent, quippe qui se mutuo

tan.

tanquam amicos & fratres diligerent, scirentque, inter opera, quibus luculentum a Deo præmium propositum esset, hoc etiam misericordiæ in peregrinos genus in Evangelio numerari. Itaque peregrinus, quicunque demum is esset, dummodo fidem Christianam profiteretur, inque Ecclesiæ versaretur communione, passis ulnis excipiebatur; nam illum ab ædibus arcere, perinde videbatur esse, ac Christum ipsum excludere; sed tamen cognoscendos se prius præbere peregrini debebant, & quinam essent, certis argumentis comprobare. Hunc in finem alio profecturi Fideles, litteras ab Episcopo accipiebant certis notis insignitas, quas soli Christiani intelligerent. Hujusmodi litteris peregrini hominis status & mores descripti erant, an videlicet Catholicus, an Ecclesiæ communioni, si forte prius per hæresim aut apostasiam inde exciderat, restitutus; an Catechumenorum, pœnitentium, aut Clericorum e numero unus, & quonam in gradu Ecclesiastico constitutus esset. Nunquam enim Clerici absque litteris, quas *Dimissoriales* vocant, itineri se dabant; præter istas litteræ quædam commendatitiæ in usu erant, ad secernendas a reliqua multitudine Fidelium personas de Ecclesia bene meritas, cujusmodi erant Confessores, Doctores, alique Ecclesiæ peculiari cura indigentes.

Matth. 25. v. 34

Baron. *An.* 142 *n.* 7.

Pri-

Primus hospitalitatis actus erat pedes hospitum lavare. Multis ea consvetudo exemplis sacrarum litterarum confirmatur, & modus ille, quo veteres pedes tegere ac vestire solebant, necessarium reddebat illud solatii & refrigerii genus. Inde etiam est, cur pedum ablutionem cum hospitalitate conjunctim enumeret Apostolus. Quodsi peregrinus in communione Fidelium perfecta esset, omni honoris domestici significatione excipiebatur; nam cæteris ipse in preces præire, supra alios omnes accumbere, ac domesticos instruere permittebatur. Felicem se tali hospite Paterfamilias reputabat, & cibi ab eodem gustati nescio quid sanctitatis sapere videbantur. Clerici peregrini pro suo quisque gradu in amore & veneratione erant omnibus. Si Episcopus peregre adveniebat, passim ad rem divinam; verbaque ad populum facienda invitabatur, quo perspecta fieret Sacerdotalis status cum reliquis Ecclesiæ membris consensio. Ne Ethnici quidem, aut ii, quibuscum cibum sumere, aut orationi communiter vacare nefas erat, a Christianis hospitio prohibebantur. Imo Principium sæcularim hac in re mandatis accurate morem gerebant Fideles, quando nimirum aut milites, aut præfectos propter negotia publica alio commigrantes, recipere jubebantur. Accidit aliquando, ut S. Pachomius admodum adolescens

v. Tom 1. C.

1. Tim. 5. v. 10

Constit. Apost. 1. c. 58

lescens militiæ Romanæ adscriptus una cum cæteris suæ centuriæ commilitonibus navi veheretur; ista ad portum civitatis appulsa, vidit Sanctus & obstupuit, tam honorifice se sociosque suos accipi, tam laute haberi, ut veteres militum amici cives illius Urbis esse viderentur; cumque idem rogaret, quodnam hominum genus id esset erga peregrinos tam liberale & beneficium, responsum ipsi fuit, homines esse, qui singularem quandam religionem, quam Christianorum nominabant, profiterentur. Quare ex eo tempore accuratius inspicere novum hoc institutum & examinare Pachomius incepit, fuitque hoc conversionis ipsius fundamentum. *in vitâ S. Pachom. c. 4.*

CAPUT XXI.

Infirmi & Sepulturæ Christianorum

ÆGris invisendis, quod Evangelium graviter inculcat, solicite Christiani operam dabant. Sacerdotes imprimis hoc genus misericordiæ diligenter curabant; illi enim infirmos adire, consolari, pro eorum salute Deum deprecari. & oleo sacro, ex Apostoli Jacobi doctrina a Christo accepta, rite inungere. Iidem sæpe aliud quoddam oleum benedictum adhibebant, quo delibuti pristinæ sanitati restituebantur; postremum hoc genus Unctionis *Matth. 25. v. 36.* *Jacobi 5* *Vide Baron.*

fuse hæc tractantem ad ann. 63. n. 13. 14. 15. &c. nis cuilibet a quodlibet impertiri solebat; nam præter Clericos etiam Laici, quibus donum miraculorum divinitus obtigerat, non tantum Fidelibus, verum etiam Ethnicis Unctionem illam impendebant, nonnunquam oleum adhibebatur, haustum ex lampadibus, quæ ante Martyrum sepulchra ardebant.

Gentiles, qui post fata nihil amplius sperabant, mortem ipsam considerabant vel tanquam malum, per quod bonis omnibus præsentis vitæ homo spoliatur, vel tanquam bonum, cujus ope calamitosi in hac vita homines malis ac miseriis suis denique liberantur. Vix unus inter eos erat, qui, quæ de suppliciis præmiisve alterius vitæ Poetæ narrabant, credere sustineret. Sane Cicero de hujusmodi rebus, aut, ut ipse putabat, commentis agens. *adeone*, inquit, *me delirare censes, ut ista credam!* *Tusc. quæst. l. 1. n. 6.* & Juvenalis nec pueros credere affirmabat. Ea causa fuit, ut morituri entes Ethnicos nemo ex suis hortaretur, nemo piam aliquam melioris vitæ cogitationem injiceret; quin potius alio divertere morienti animos studebant; quare mirum non est, vitæ conservandæ usque adeo studiosos fuisse miseros Gentiles, ut nimirum caducis vitæ voluptatibus, post quas aliud nihil exspectabant, diutissime fruerentur. Princeps totius vitæ ipsorum regula & norma ea erat, quam post Jsaiam Apostolus comme-

mo-

morat: *manducemus & bibamus, cras enim* *Is* 22.
moriemur: ad hunc scopum Ethnicorum *v* 13.
moralia documenta referebantur, quæ fer- *1. Cor.*
me in singulis odis Horatius inculcat; hoc 15. *v.*
etiam *Petronius* Poeta sub Nerone Impe- 32.
ratore luculento exemplo demonstravit.
Cæteri quorum major erat gravitas vitæ *Tacit.*
que moderatio, vitæ præsentis solatia ex *Annal.*
Philosophia petebant, id præcipue curan- 26.
tes, ut tranquille & pacate mortalitatem aliquando explerent.

Contra vero Christiani melioribus imbuti placitis mortem veluti aditum ad æternitatem considerabant; cumque plerique ipsorum sanctissime viverent, mortem ipsam potius in votis habebant, quam ut eam extimescerent, minusque doloris ex Parentum & Amicorum jactura capiebant, quam voluptatis & gaudii, quo perfundebantur partim propter æternam ipsorum felicitatem, partim propter spem certamque fiduciam, illos olim in cælo revisendi. Itaque mortem Christiani soporem quendam interpretabantur esse, ex modo loquendi sacris literis familiari; inde etiam sepulturæ locum græca voce *cæmeterium* nominabant, quod latine *dormitorium* significat. Idem ut testatiorem facerent suam de resurrectione corporum fidem exquisita cura majoribusque impensis, quam ad reliquas actiones solerent, defunctorū cadavera sepeliebant; non cremabantur

ista

Baron. Anno Christi 34. n. 169. Vita S. Anton. cap 34. Tertul. apol. c. 42.

ista corpora, qui Græcorum & Romanorum mos erat; sed neque Ægyptiorum plus æquo solertem industriam Christiani probabant, cadavera aromatis condita, & supra pretiosos lectos publice exposita domi suæ asservantium, quam consvetudinem S. Antonius sua tempestate adhuc durántem gravibus verbis insectatus est.

Igitur suorum cadavera Christiani more apud Judæos recepto sepeliebant. Primum ea lavabant, tum odoriferis herbis condiebant, soliti pio huic ministerio majorem aromatum vim adhibere, quam Ethnici superstitiosis sacrificiis impenderent. Subinde mundissima syndone; pannove bombycino corporá obvolvebantur; interdum etiam pretiosis vestibus indui ea mos erat. Hoc ornatu tridui spatio cadavera prostabant, juxtaque illa Fideles cum ad corporum defensionem, tum ad fundendas preces veluti excubias agebant; denique ad sepulchrum cadaver deportabant, prosequentes funus inter cereos facesque perpetuo longoque ordine collucentes, nec sine psalmorum & hymnorum pio modulamine, quo & Dei laudes celebrarent, & beatæ resurrectionis expectationem facerent perspectam. Adhæc preces pro mortuis exsolvi, offerri sacrificia, pauperibus epulæ, quas Agapas nominábant, ápparari, aliæque eleemosynæ erogari solebant. Anno uno a morte exacto defuncto-

Const Apost 6 cap. ult & alibi Prudent Hymn in exeq.

rum

rum instaurabatur memoria, quæ etiam per reliqua tempora anniversaria solebat esse, præterquam quod ipsorum in sacrificio Missæ quotidiana fieret commemoratio.

Tertul. de cor. Mil c. 3. Orig. in Jobum Hom. 3. Cypri. epist. 66 Baron. Anno Christi 34. num 287. fine & 288.

Certos Ecclesia homines alebat sepulturæ ministerio destinatos, qui *fossarii* & *laborantes* vulgo appellabantur, eosque in Clericorum numero interdum fuisse, Baronius ex epistola S. Ignatii ad Antiochenses ostendit. Non raro cum defunctorum ossibus nonnulla alia tumulo inferebantur partim honoris ergo, partim ád conservandam in posteris pie mortuorum memoriam. Hujus generis erant dignitatum, quibus olim effulserant, vária insignia, pœnarum item instrumenta, ampulæ spongiæve Martyrum sangvine impletæ, Acta authentica Martyrii, Epitaphia, vel certe nomina defunctorum, numismata eorum temporum, lauri sive aliarum perpetuo virescentium arborum folia & rami, cruces, Evangeliorum codex, interdum etiam ipsamet Divina Eucharistia Cadavera, quantum fieri poterat, supina in sepulchris collocabantur, vultu ad Orientem converso: Cum Gentilium mos esset, asservandis mortuorum cineribus magnifico apparatu facta sepulchra moliri, quæ máxima ex parte extra mœnia urbis secundum vias publicas, qua frequens viator transibat, & alibi passim in agris & fundis ipsorum exstructa erant; Christiani e contra-

rio terræ corpora mandabant, nunc homo, quantum satis esset, egesta, nunc in cryptis ex ordine illa collocando, cujusmodi postea in urbe Romana fuerunt, quas *tumbas catatumbas*, *catacumbas* nominabant.

v Thomass. in Discipl. Editio lat. p. 3 L. 1. c. 65. & 66.

Loca hæc subterranea, partim rupibus incisa, partim effosso sabulo in venis ac visceribus terræ præparata. Eo per gradus descendebatur, infraque subtus humum longissimi excurrebant vici, duplici triplicive ordine loculamentis instructi, in quibus corpora quiescebant, alte in terram depressa. Per certa intervalla videre erat spatiosas cameras solido opere exædificatas, quæ circumquaque suos habebant forulos, condendis corporibus excavatos. Camerarum ejusmodi pars potissimá perinde ac totidem sacella varias ex Vetere Novoque Testamento historias penicillo expressas referebant; imo in aliquibus hujus generis profundis cæmeteriis Ecclesiæ subterranea adhuc visuntur. In multis catacumbis repertæ fuerunt urnæ marmoreæ, quæ cœlato eleganti que opere easdem, quas picturæ, Camerarum historias repræsentabant; sepulchra hæc erant personarum supra vulgus eminentium. Quodlibet istorum cæmeteriorum veluti peramplum suburbium erat, sub terra alte recedens, quorum aliqua duas tresve contignationes altitudine exæquabant. Persecutionum tempore tutissimum

mum èa loca perfugium Christianis præbebant, ubi Martyrum reliquias custodire, cœtus frequentare, divinis operari & assistere possent; quid? quod de Pontificum compluribus memoriæ proditum est, ibidem commorari & habitare solitos fuisse. Plura de caracumbis legere licet in Libro, qui *Roma subterranea* inscribitur. Eæ diu admodum saltem maxima ex parte posteris ignotæ fuerunt, aditu ad easdem injuria temporum, aut hominum voluntate obstructo præclusoque; nec nisi sæculo Christi sexto decimo ád finem vergente observari ac recludi cœperunt

Mira semper Christianorum pietas & cura fuit, ut proxime sanctorum Martyrũ ossa requiescere sibi post mortem liceret; eaque re factum est, ut frequentia sepulchra progressu temporis in Ecclesiis exstruerentur, etsi prioribus sæculis consvetudo humandi corpora non alibi, quam extra civitates, diu admodum retenta fuerit. Reliquiarum veneratio & resurrectionis ad meliorem vitam certá fides Christianis exemerunt inanem illum terrorem, qui veteres passim omnes, ipsosque adeo Israëlitas a corporibus & sepulchris mortuorum absterrebat: *Const. it. Apost. 6. C. ultimo.*

CA-

:*****************

CAPUT XXII.

Episcopi, Presbyteri, cum reliquo Clero.

UT imagini primorum Ecclesiæ temporum hactenus adumbratæ suprema tandem manus accedat, paucis hoc loco agendum est de pastoribus animarum, cæterisque Ecclesiæ ministris. Origenes, ubi civiles conventus cum Ecclesiis Christianorum comparat, citra omnem dubitationem asserit, & pro re omnibus nota defendit, Ecclesiárum sacros Præsides re ipsá ornatos esse virtutibus illis ac meritis, quæ civici magistratus solo nomine tenus habebant, quodque observatu dignum est, Origenes ista asseverat in libris contra Celsum, ubi Gentiles impugnat, quibus sane deridendum se præbuisset, si a vero alienum aliquid ad ipsos refellendos assumere vellet. Etiam Alexander severus Imperator. ut suos doceret, quanto delectu, quamque diligenti de moribus præmissa inquisitione Rectores Provinciárum constitui oporteret, Christianorũ hac in re exemplum proposuit Ergo inter Fideles ii eligebantur ad Ecclesiastica munera, quos hactenus describere conatus sum, viri inquam, quorum & spectatissima erat vitæ sanctimonia

Orig. cont. Cels. l. 3.

Cum-prid. in Alex.

Tertul. Apol. c. 39.

Orig.

monia, & virtus quam plurimis experimentis diu multumque probata. Hac veluti mercede remunerabantur Christi Confessores, quorum constantia in perferendis suppliciis supra alios enituerat. Hujusmodi erant Aurelius & Celerinus, quos Divus Cyprianus Anagnostas sive Lectores ordinavit; horum postremus pluribus in corpore cicatricibus Christi causa acceptis ornatus erat, præterquam quod Aviam Patruumque & Avunculum haberet martyrii palma illustres. Talis item Numidicus, ab eodem S. Cypriano Sacerdotum numero adscriptus, qui *hortàtu suo copiosum Martyrum numerum lapidibus & flammis necatum ante se misit: quique uxorem adhærentem lateri suo concrematam.... lætus aspexit, ipse semiustulatus, lapidibus obrutus, & pro mortuo derelictus.*

cont. Cels. L. 8. Cypr. Ep. 33. 34.

Idem. Ep. 35.

Clericos Episcopi legebant, populi sæpe rogatu, vel certe populo neque ignaro, neque invito, maxime vero totius Cleri ea super re consilium exquirebatur; cæterum voluntatis ipsorum ordinandorum parva ratio habebatur; non solũ enim exspectari non solebat, usque dum ordinis alicujus collationem Candidatus peteret; verum etiam ingratiis sæpe suis, aut pia fraude, aut vi propemodum adducti Sacris initiabantur; ut adeo nonnulli essent, qui nunquam in animum inducerent, functionum suo ministerio propriarum aliquam in

S. Cyp. Ep. 33. initio.

tota

Cypr. tota vita exercere. Porro Episcopus ipse
Ep. 68. præsente populo ab Episcopis illius pro-
Canon. vinciæ, in Sede vacante congregatis, eli-
Apost. 1. gebátur, quorum duo ut minimum, áut
Const. tres aderant; ægre enim tum temporis
Apost, 8. fieri poterat, ut numerosá congerentur
C 4. Concilia, nisi cum aliquanto temporis in-
tervallo persecutionum furor conquiesce-
ret; nonnunquam Episcopales Sèdes Præ-
sulibus diu orbæ viduæque remanebant.

Ordinationes præmisso semper jejunio
Act. 13. nec sine conceptis rite precum formulis
v. 2. & 3. fieri solebant. Stata illarum tempora no-
vid. Ba ctes ferme erant Dominicam diem præce-
ron. A. dentes; his inter sacras vigilias exactis.
44. *n.* 4. Ecclesiæ ministri consecrabantur; actus ve-
ro Consecrationis præcipuus in manuum
impositione nunquam non consistebat, hanc
Divinæ hostiæ in altari facta litatio ex-
cipiebat. Non plures Episcopi Sacerdo-
tes, neque Diaconos, neque inferiorum
munerum Clericos ordinabant, quam quan-
tum ipsis ad suæ Diæceseos rectam admi-
nistrationem opus esset, quorum proinde
numerus haud adeo frequens erat; nam
Euseb tempore S Cornelii Papæ sub annum sa-
l. 6. lutis ducentesimum quinquagesimum Ro-
Hist. c. mana Ecclesia sex tantum supra quadrá-
43. ginta Presbyteros & Clericos, universe
centum quinquaginta quatuor numerabat,
etsi tunc innumerabilis prope jám esset
Fidelium multitudo. Omnes isti Clericali

ex

ex ordine Episcopo suo plenissime subjecti erant, tanquam Discipuli, quos ipse ingenti cura erudire, formare & gradatim promovere solebat, ut illos pro cujusque ingenio & habilitate, ad varia obeunda ministeria applicaret. Non licebat illis Episcopo inconsulto invitoque alterius Episcopi obsequiis sese addicere; quique sic abeuntem Clericum recepisset, tanquam furti aut plagi cujusdam reus in aliorum incurrebat reprehensionem.

Etsi vero Episcoporum in Clericos tanta esset authoritas, nihil ut ab imperio absoluto summaque potestate videretur distare; universa tamen gubernandi ratio lenitate & charitate continebatur: Clerici ipsi Episcopalis potestatis parte aliquá fruebantur; siquidem absque ipsorum consilio nullum majoris momenti negotium Episcopi suscipiebant, Presbyterorum præcipue, ut qui Ecclesiæ veluti Senatores erant, sententias prius exquirebant. Sane Sacerdotum tanta passim reverentia & Antistitum tanta animi modestia erat, ut extima specie parum inter utrosque differentiæ notaretur. Imo ipsis Episcopis verendi aliqua ratione Clerici erant; utpote doctrinæ & morum Episcopalium perpetui oculatique testes. In publicis functionibus Episcopo Clerici tanquam magistratum administri, ut potius more discipulorum magistro suo adhærentium, semper

Thomass Tom. I. L. 2. C. 100. 101. 102. de syncellis

Const. Apost. 8. c. 12. per assistebant. Siquid unquam Episcopus aut docere populum, aut facere ipsemet ausus fuisset, quod a Traditionibus Apostolicis abhorreret; Presbyteri & Diaconi seniores nequaquám id ferendum dissimulándumque existimabant; quin potius Episcopum modeste primum ac leniter admonebant; subinde si admonitionibus nihil profectum esset, causam totam ad alios Episcopos ac demum ad Patres in aliquo Concilio congregatos deferebant.

Clericorum potiór pars Asceticam vitæ rationem sequebatur, leguminibus siccisve cibis utplurimum vescentes, sæpe inedia, sæpe voluntariis pœnis, quoad per gravissimos munerum suorum labores licebat, corpus áffiictantes Præcipue vero continentiæ virtus Episcopis, Presbyteris & Diaconis commendata erat. Nihilominus ad sacros Ordines sæpe promovebantur viri mátrimonio ligati; quomodo enim inter Judæos & Gentiles, qui magno numero quotidie Christo se dabant, homines semper invenires, qui annis jam maturi & graves in cœlibatu perpetuo vixerint? imo non parum erát aliquos ex illis reperire, qui una uxore contenti fuissent, cum propter eorum temporum licentiam, quœ Judæis cæterisque Orientalibus populis polygamiam permittebat, tum vero propter divortii usum passim tunc & communiter receptum, quæ res novis identidem contra-

hen-

hendis nuptiis ansam præbebát. Cæterum is, qui Episcopus ordinabatur, si matrimonio junctus erat, statim a suscepta illa dignitate uxorem suam sororis loco deinceps habere incipiebat, eádemque lege Presbyteros & Diaconos Ecclesia Romana perpetuo voluit obstrictos. Nam in Græcia & reliquo Oriente processu temporis remissius hac in re agi cæptum est. Nusquam tamen, per universam, qua late patet, Ecclesiam Catholicam permissum erat, ut Sacerdos post Ordinationem matrimonium primo iniret; qui id attentabat, continuo gradu suo dejectus, inque Laicorum redactus classem, pœnas dabat suæ incontinentiæ. Jam ad inferioris notæ Clericos quod attinet, cuiusmodi sunt Lectores & Ostiarii, hi plerumque uxorati erant, & uxoribus suis cohabitabant. Multi eorum hisce in muneribus vitam omnem transigebant, vel certe per plures ánnos in iisdem durabant; quo tempore facile accidere potuit, ut vel uxores suas mortis fatali necessitate amitterent, vel vitæ perfectioris studio incensi ab ipsarum consvetudine sensim sese extricarent. Verum utcunque ista se haberent, matrimonii status per ea tempora apud veros ac genuinos Christianos eo majori in pretio & honore fuit, quanto impudentius contra illum hæretici nonnulli declamabant; quorum alii matrimonium plane execrabantur, alii se-

cun-

cundas saltem nuptias crimini vertebant.

Clerici omnes, atque adeo ipsimet Episcopi vitam pauperem, vel certe simplicem ducebant, ut si de reliqua Fidelium multitudine forent, a quâ habitu cultuque corporis nihil differebant. Nam tum persecutionum coorta in Fideles tempestate, primi omnium Ecclesiæ Pastores & ministri conquirerentur, non erat, cur isti seu vestitu, seu qua alia status sui exteriore nota, quinam essent, ultro manifestarent; Gentilium Philosophos ut summum habitu vultuque referebant. Multi patrimonia suâ in pauperes prius erogabant, quam sacris Ordinibus initiarentur, plures etiam Apostolum imitati, post acceptos Ordines pergebant manuum labore victum comparare, etsi cæteroquin publicis Ecclesiæ sumptibus vivere possent; ista enim de suis opibus abunde suppeditabat, quidquid ad sustentandos Clericos necessarium esset. Quilibet istorum in menses aut hebdomadas singulas certa veluti stipendia sportulasque recipiebat *, sive in numerata pecunia, sive in natura, ut loqui solemus, pro cujusque gradu & indigentia distribui solitas. Nam

S. Cyp. Ep. 34 sportulæ, sive ut eas Cyprianus nominat, *divisiones mensurnæ*, id est, menstruæ & hebdo-

* Eam ob rem appellantur *Sportulantes Fratres*. Ep. 66. S. Cyprian.

hebdomadariæ Clericorum, qui & majori dignitate aliis præstabant, & plus laborum, quos dignitas illa major afferebat, exantlare debebant, ampliores cæterorum portionibus erant ex Apostoli præcepto, cum ait: *qui bene præsunt præsbyteri, duplici honore digni habeantur.* Honoris enim vocabulo, phrasi Sacræ Scripturæ & Patribus usitata, victus & vitæ subsidiá hic intelliguntur. Erant etiam nonnulli, qui patrimonia sua retinerent. Divus Cyprianus imminente jamjam Martyrii tempore casum aut prædiolum * possidebat, quod unum ex maximis bonis pridem abjectis ipsi reliquum erat. Nec solum auctoritate venerabiles, verum etiam utilitate publica omnibus ámabiles erant sacri pastores, ac reliqui Clericorum. Nunquam Episcopus non præsidebat publicis precibus, Sacras item Scripturas explanare, Missæ sacrificium Dominicis & Stationum diebus assidue peragere solebat. Vidisses ipsum cum presbyteris suis perpetuo occupatos nunc catechumenis instruendis, nunc consolandis ægrotis, nunc pœnitentibus cohortandis, nunc componendis inter sese dissidentium animis. Quidquid controversiarum & litium oriretur, id omne Episcopus decidebat. Neque enim Christianis fas erat, lites suas contestari ad Gentili-

1. *Tim.* 5. v. 17. v. *Pamelii notam* 10. *in Epist. Cypr.* 60. *mam.*

Vide Baron. ad ann 57. *n* 37.

* Pont. Diac. in vita S. Cypr. *hortos* nominat.

tilium tribunalia, quod S. Paulus pridem prohibuerat; Siqui vero Episcopi sententia stare nollent, ii tanquàm obstinati in malo, desperatæque emendatiónis peccatores Fidelium communione privabantur. Verum ejusmodi forenses controversiæ raro admodum inter Fideles suscitabantur, quippe qui a lucri cupiditate alieni, humilitate insuper & in adversis tolerantia præditi erránt. Cognoscendis caufis Episcopi plerumque secundam cujusque hebdomadis feriam destinarant, quo videlicet litigantes, si forte judicio non statim acquiescerent, moræ adhuc satis haberent ad controversias suas componendas, meritavecausæ ante insequentem dominicum diem Episcopo proponenda, quo die convenire omnes ad publicas preces & divinam pacificámque hostiam communiter recipere tenebantur. Porro judicii exercendi hæc ferme ratio erat. Episcopus cum corona presbyterorum veluti pro tribunali sedebat, diaconis circumstantibus; medium locum adversæ litigantium partes obtinebant. His primum attente auditis, Episcopus in id potissimum contento studio incumbebat, ut ante sententiæ pronunciationem dissidentes ad concordiam & amicam compositionem adduceret. Eodem in loco admittebantur querelæ & delatiónes contra eos factæ, qui cum Christiani essent, vitam Christiano indignám agebant.

1. Cor. 6. v. 1.

Bono.

Bonorum Ecclesiasticorum libera absolutaque dispensatio penes Episcorum erat, nec quisquam metuebat, ne iisdem aliquando Præsul abuteretur. Sane si vel minima suspicio aut diffidentia de probitate & æquitate Episcopi Fideles sollicitasset, nunquam issi regimen animarum suarum, quæ utique infinitis thesauris præstant, curæ & fidei ipsius credidissent. Erat igitur Episcopus veluti communis quidam calamitosorum & egentium portus, sive publicus omnium parens, in cujus auribus suas miseri preces & lamenta deponebant, & a cujus providentia ac benignitate medelam suis quisque malis afferendam sperabat, *Constit. Apost. l. 2. c. 24. 25.*

Et mirabimur adhuc Episcopos ac Presbyteros maxima passim in veneratione a Fidelibus habitos fuisse? hi ubi coram agere cum ipsis vellent, humi abjiciebant sese, pedesque illorum exosculati, faustam ab iis precationem supplices ac venerabundi præstolabantur; Sacerdos autem non prius sermonem cum iis miscebat, nisi oratione præmissa, cujusmodi ferme Collectæ nostræ in Missa & Officio Sacerdotali esse solent. Felicem se reputabat, qui Presbyterum aut Diaconum domo sua, mensave excipere posset. Nemo negotium gravioris momenti suscipiebat sine pastoris consilio, qui gregis totius unicus moderator erat, & veluti homo quidam divinus. Christiques *Vide Acta S. Susannæ ap. Baron An. 294. n. 10. & 11.*

stique Vicarius honorabatur; ut adeo nihil sic Episcopis & Sacerdotibus metuendum esset, quam ne vanitate elati alios præ se contemnerent maxime propter donum Prophetiæ & miraculorum, quæ per ea tempora satis frequentia erant.

Tota igitur basis Imperii & potestatis illius, qua Pastores animarum valebant, in ista populi veneratione & filiali amore consistebat. Etenim ad exigendum a suis obedientiam non áliis præsidiis ac veluti armis sacri Præsides instructi erant, quam efficacia sermonis in persvádendo, pœnarumque spiritualium impositione: nec alia ratio suppetebat compellendi ad officium subditos, quam religio animis injecta. Cæterum qui eo inprobitatis venerat, ut censuras Ecclesiasticas nihili faceret: is nulla alia temporali inflicta pœna noxas suas eluebat.

CAPUT ULTIMUM.

Christianorum primis tribus Ecclesiæ ærumnosis sæculis prudentia atque patientia.

TAles ferme Christianorum erant mores, quamdiu Idololatria dominabatur, & persecutiones aliæ ex aliis succrescebant. Status iste in universum omnes

ac

ac singulos obligabat, ut magna ubique vigilantia agerent, perpetuoque Deum ac semetipsos ante oculos mentis haberent. Ubi primum cæpta persecutio est, nihil Christiani aliud in horas exspectabant, quam ut Judici nomina sua deferrentur etiam a propriis uxoribus aliisve sangvine sibi conjunctissimis, quos partim bonorum alienorum cupiditas, partim falsæ Religionis zelus in suos exstimulabat. Nullum debitoribus certius medium erat; ære alieno, quo Christianis obstricti erant, sese liberandi; nulla etiam Christianorum mancipiis expeditior ad libertatem obtinendam via & ratio erat, quam Dominorum aut creditorum facta ad Judicem denunciatio. Si quando Gentilem Christianæ alicujus virginis amore capi contingeret, continuo is virginem in miseram necessitatem conjicere poterat, ut corpus suum aut hominis libidini, aut Judicis quæstioni ac tormentis offerre cogeretur. Etiam cum nonnihil pacata fluerent Ecclesiæ tempora, adhuc in dies singulos merito timendum erat, ne antiqua bella recrudescerent: nec ulla Ecclesiæ illis temporibus tam secura integraque pax affulsit, quin multa tunc quoque Christianis perferenda essent, seu populari tumultu, seu qua alia eos divexandi excogitata causa; constat enim Martyrum bene multos sub iis Imperatororibus passos fuisse, qui cætero-

teroquin Ecclesiam Christi dedita opera minime exagitarunt. Fac etiam cessasse ad tempus supplicia; odia quidem certe & contemptus nunquam cessarunt, impune semper & petulanter Ethnicorum convitiis atque injuriis Christiani appetebantur; hos voce & stylo proscindere, hos in theatris per jocum ridere ac traducere non modo licebat, sed honori etiam ducebatur. Sane unius Celsi relatæ ab Origine criminationes sufficere possunt ad demonstrandam indignitatem summamque licentiam, qua Fideles tum temporis accipi solebant. Præterea non poterant non Christiani multa quotidie videre atque audire, quæ proxime enumeratis incommodis multo erant deteriora; quotidie & passim sacrilegi Ethnicorum ritus, turpes statuæ & publica lupanaria in oculos incurrebant; aures vero sermonum undique obstringentium obscænitas impietasque identidem vellicabat. Profecto qui in tantis fluctibus nihil unquam in fide vacillet, nihil inter has sordes a morum vitæque integritate dimoveri se patiatur, næ is incredibili & prope divina virtute animique excelsitate præditus sit necesse est.

Nec minori Christiani prudentia & circumspectione opus erat, ut intra cancellos suos tenerent libertatem illam filiorum Dei & magnanimitatem non aliunde, quam ex testimonio bonæ conscientiæ ortam.

Neve-

Noverant illi futiles aliorum contemplationes contemnere, noverant objecta per summam contumeliam maledicta adeo concoquere, ut neque concitatis in calumniatores seditionibus, neque regestis in ipsos conviciis, neque inclusis saltem odiis illatas injurias ulciscerentur. Diligenter ad modum sibi cavebant, ne quid unquam fácerent, quod persecutionem aut primum accendere, aut jam ante accensam mágis inflammare posset. *Pacem* & concordiam, quoad ejus fieri poterat, cum omnibus studiose conservabant, denique ita vivebant, *ut benefacientes obmutescere facerent imprudentium hominum ignorantiam.* Eandem ob causam quidquid ad pietatem necessarium non esset. Gentiliumque animos, magis exulcerare posset, omittendum sibi putabant, ipsorumque animos, quibus possent officiis sibi devinciendos Multa Christiani suo statui peculiaria habebant exercitia, per quæ ab Ethnicis necessario secernebantur, ut adeo minime opus esset, in exteriore vita nova quædam & supervacanea affectare. Itaque vitæ ratio, quæ omnium oculis subiecta erat, nihil a Romanorum, nihil a Græcorum aliarumque nationum, inter quas versabantur, instituto diffidebat, nisi cum aliquid aut castæ Religioni aut bonis moribus manifeste repugnaret. Nec magnopere laborabant Fideles, ut disputando & concionando mi-

Rom. 12. *v.* 17 &c

1. *Petr.* 2. *v.* 15

nus recte dispositos affectosque convincerent; sed satis habebant Deo illos in oratione commendare, & partim tolerantiæ exemplo, parum recte factorum luce ædificare, bonum pro malo perpetuo reddentes

Imprimis erga Principes, Magistratus & sæcularem Potestatem Christianorum elucebat patientia. Nunquam auditi fuere, de publica administratione conqueri, aut de sæculari Potestate quidquam per contemptum dicere. Nihil honoris & obodedientiæ, dum ne ad idololatriam spectaret, ipsis denegabant: tributa pendebant non solum absque repugnantia ulla, sed etiam sine questubus, & lamentis alias usitatis; tantumque aberat, ut fraudare aliqua re Magistratus vellent, ut potius manuum labore ipsis subvenirent. Seditionum & tumultuum popularium neque authores Christiani, neque participes aut conscii erant

Tertul. Apol. c. 35. 36. 37.

conjurationum primis tribus sæculis contra Imperatores factarum, quantumvis impii, & in persequendis Fidelibus crudeles isti essent. Solis Christianis propria ea laus fuit, quod nunquam Neronis, Domitiani, Commodi, Caracallæ aliorumque complurium Tyrannorum Imperio ac jugo liberare se conati fuerint; cumque per summum nefas, inauditamque barbariem in extremas angustias redacti essent, nunquam tamen in mentem venit, ad justam

sui

sui defensionem arma corripere, etsi soli Christiani singulis nationibus, quæ Romanis bellum inferebant, numero longe præstarent. Imo plurimi Fidelium, qui sub Romanis signis militabant, armis, quæ in manibus habebant, non aliter quam ex præscripto Imperatorum ac Ducum suorum uti volebant, ut adeo Legiones integræ, qualis illa Sancti Mauritii erat, potius imbellium adinstar ovium contrucidari se paterentur quam ut jurátam Deo ac Cæsari fidem violarent.

Ægre imperare sibi Christiani poterant, ut paucula quædam verba proferrent, quibus modeste se purgarent, editisque in lucem responsis objecta per summam injuriam crimina diluerent. Toto ferme primo Ecclesiæ sæculo pati, quam loqui aut agere maluerunt, divini præceptoris sui exemplo, qui accusatus tacuit, & injuste se judicanti ultro sese tradidit. Totam videlicet innocentiæ suæ probationem in testimonio bonorum operum suorum reponebant; neque prius quam sub Adriani Imperatoris tempora Apologiæ quædam vulgari cœptæ sunt, tanta modestia & veneratione; tantaque soliditate ac gravitate conscriptæ, facile ut animadvertere quivis posset, solo veritatis amore compositas fuisse.

Origen. contra Celsum initio.

2. Petri 1. v. 23.

Tam invictâ Christianorum in adversis tolerantia ad extremum Potestates omnes

mundanas Evangelio subjugávit. Nóndum tyrannicarum persecutionum defervuerat æstus, & jam Fidelium multitudo ad miraculum usque aucta erat. Horum complures inter domesticos Alexandri Imperatoris, nonnulli in ipso Diocletiani palatio versabantur, fuitque aliquando tempus, cum hoc ipsum sævissimi Tyranni palatium fortissimis Christi Confessoribus, qui tunc in Urbe degebant asyli ac receptáculi loco esset. Sanctus Caius Pápa, & Divæ Susannæ parens S. Gabinus Diocletiani ex fratre Maximo sive Maximino nepotes erant. Nimirum virtutibus Christianorum & miraculis, quæ frequenter ab ipsis patrabantur, commotus tandem & conciliatus populus æquiorem se inique vexatis præbere incepit, palamque magnum Christianorum Deum & innocentes Christianos pronunciare. Nonnunquam evenit, ut, quo tempore suppliciis excruciabantur Martyres; populus, quem ea spectacula exciverant, Martyrum partes, quemlibet invitis ipsis; susciperet, & saxorum grandine petitos Judices tribunalibus exturbáret suis. Sæpe etiam, qui aderant, publici Scribæ, carcerum custodes & apparitores, animis repente ac divinitus mutatis, se quoque Christianos esse unamiter exclamabant, seseque Martyribus in ferendis suppliciis socios adjungebant. Quid? Comœdi quoque & histriones eo ipso tempore,

Baron. An. 294. n. 5.

Acta S. Bonif. An. 305. n. 1. Martyrolog. 1. Febr. S. Evilas M. 20. Sept.

pore, quo in theatris sacrosanctæ Mysteria *Acta Ss.*
per ludum imitabantur, continuo ex vi- 40. *Mar*
lissimis homúncionibus Martyres eva sere *tyrum*
illustrissimi, cujusmodi sub Diocletiano 9 *Mart*
Ardelion & Genesius fuere. Atque hinc *Baron.*
ultimæ illius longeque immanissimæ per- 303 *n.*
secutionis origo extitit; videbant enim 118.
Gentiles totum mundum abire post Christũ, quemadmodum olim Pharisæi loquebantur. Veruntamen ista quoque omnium dirissima vexatio nihilo plus, quam præteritæ omnes, profecit, eoque sólum valuit, ut malis suis Religio Christio Christiana cresceret, atque stabiliretut; proinde quarto Christi sæculo ineunte, cum Constantinus Magnus patrocinium nostræ fidei palam susciperet, jam omnia secunda, votisque suis faventia experti sunt Christiani.

PARS

PARS III.

Ecclesia Christi in libertatem asserta.

AD tertiam operis hujus partem ordine perventum est, in qua Ecclesiæ mores, ex quo illa pace & libertate frui cœpit, describendi sunt. Hoc videlicet tempus illud erat, inde a tribus sæculis expetitum; hanc sibi quisque veluti auream ætatem, statumque Fidelibus ad serviendum sine metu & obstaculis Divinæ Majestati opportunissimum animo effingebat; verum experientia nimis quam clare docuit, longe utiliores Christianæ rei superiorum temporum persecutiones fuisse. Nihilo tamen minus iidem mores, quos superiori parte retuli, diu post incorrupti permansere; ut adeo nihil novi, quod isto locó afferam, reliquum sit, quam ut differentiam novi hujus Christianorum status describam, quæ ex fidei nostræ deinceps ac publico exercitio nata fuit.

CAPUT I.

Prævium Examen cæteraque ad Baptismum præparatio.

QUanquam singularis semper adhibita cura est in examinandis periclitandisque iis, qui sacri fontis gratiam expetebant; multo tamen majori hac in re circumspectione opus fuit, ex quo Christianum fieri impune licebat, prætereáque temporalis commodi aliorumque pravorum finium respectus ad profitendam hanc legem inducere mortales poterant. Ergo qui ad nostra sacra transiturus sisteret sese, continuo de causis hujus suæ voluntatis rogabatur, quæque item hominis conditio, liberane an servilis, qui mores, quæ vitæ ante actæ ratio esset. Quorum seu professio aperte flagitiosa, seu inveterata peccandi consvetudo deprehendebatur, ii nunquam inter Religionis Christianæ candidatos admittebantur, nisi re ipsa e cœno emersissent suo. Hujus generis erant prostibula, lenones, comœdi, gladiatores, quique seu in circo cursu decertabant, seu choreis &cantu populũ tenebant, verbo, qui spectaculis vel per se ipsi serviebant, vel certe iis palam addicti erant, quibus, ut circumforanei, præstigiatores, Divini, & qui characteribus, nescio

Const it. Apost. l. 8. c. 32.

nescio quibus, populo traditis depellere se morbos vel impedire posse jactabant, denique quisquis superstitionum qualecunque genus publice profitebatur. Procul isti omnes a Religione arcebantur Christiana, nisi prius pravam consvetudinem posuissent, ac ne tunc quidem, nisi aliquamdiu diligenter probati essent, fidendum ipsis Christiani putâbant.

Jam vero qui sacris nostris idoneus judicabatur, Catechumenis primum accensebatur impositione manuum vel ab Episcopo, vel a Sacerdote ex Episcopi commissione factâ. Hic signo crucis tyronis fronti impresso, Deum orabat, ut bene precari Catechumeno vellet, quo fructû caperet ex instructionibus, dignumque se redderet baptismatis cœlesti munere. Hoc in statu Catechumenus longo tempore, verbi gratia, triennii spatio, permanebat, quo tempore capitibus nostræ fidei scitu maxime necessariis imbuebatur. Primum Dei Unius ac Trini mysterium, universi creationem, seriem providentiæ, finemque rerum a Deo conditárum accurate docebatur; Item quæ hominis natura, cur civis mundi constitutus, quibus & præmis & suppliciis generis humani gubernationem, Deus per omnia retro sæcula, temperarit; his articulis aliis de incarnatione, ac reliquis vitæ & operum Jesu Christi mysteriis subjungebantur.

Ainstit. Cpost. l 7. c. 10

Divus

Divus *Augustinus* luculentum Tractatū conscripsit, quo Catechistas edoceret modum rite instituendi novellos Christi milites, formamque ac veluti ideam adeo fructuosæ functionis ipse præberet. Tempus huic instructioni destinatum alias contrahi, alias produci solebat, pro eo ac tyrones progressum in discendo citius tardiusve facerent. Nec solum ad hujusmodi progressum in addiscendis fidei dogmatis, verum etiam ad morum, quos ex Paganismo attulerant, emendationem attendebatur; nec nisi perfecta Catechumenorum observata conversione, statu illo egredi licebat. Ea re factum est, ut complures Baptismi susceptionem ad mortem usque differrent, Nulli enim nisi ultro petenti *Sacramentum* hoc impertiebatur, Etsi non cessarent pastores animarum, hujusmodi Catechumenos, ut eam gratiam flagitarent, frequenter adhortari. *De Catechizand. Rud.*

Qui admitti ad Baptismum desiderabant, & favore illo digni judicabantur, nomina sua dabant, albo *Competentium* sive *Illuminatorum* inscribenda, multo etiam diligentius & instantius quadragesimali tempore instruebantur, sæpiusque ad Ecclesiam jubebantur convenire, cum ad examen in rebus fidei subeundum, tum ad Exorcismos ac preces supra ipsos in corona Fidelium rite pronuntiandas. Ea functio *scrutinium*, & assignata illi tem- *August. l. de fi. de & op. c. 6.*

pora

pora *scrutinii dies* appellabantur, ad quo dominica proxime præcedente universa Fidelium congregatio invitari solebat his fere verbis; *Scrutinii diem dilectissimi Fratres, quo electi nostri divinitus instruuntur, imminere cognoscite, adeoque solicità devotione sequenti quarta feria circa horam nonam convenire dignemini.* Constanter mos iste ác per plura secula tenuit, proque ipsis etiam párvulis observatus fuit; ejus vestigia, quædam adhuc extant in officio Ecclesiastico. Sub finem magni jejunii Symbolum Apostolorum iisdem exponebatur, cujus expositionis paradigmata habes in Catchesi Sancti Cyrilli Hierosolymitani, & in multis, S, Augustini sermonibus.

Cod. Sacram Edit Rom. 680.

Ord. Rom. Miss fer. 4. post Dom. 4. Quadrages. & *Durand. ibid.*

Post tot ac tantas prævias dispositiones solemni demum ritu Cátechumeni baptizabantur, aut in pervigilio Paschatis, ut nempe cum Christo in novam vitam resurgerent; aut in Vigilia Pentecostes, ut cum Apostolis Spiritum Sanctum acciperent; nam statim a Baptismo Confirmationis Sacramento impertiebantur, Extra duo proxime commemorata per annum tempora Baptismus ordinario modo non conferebatur: si vero periculum in mora esset, nunquam non illius facta est copia Recens baptizati octo ipsos dies candidam vestem portabant in Baptismo acceptám, ad denotandum innocentiæ candorem, quem ad

xei-

exitum vitæ suæ conservare incontaminatum quisque debeat; Tum vero universis Ecclesiasticis officiis interesse licebat.

Dubitari neutiquam potest, fuisse per ea tempora publicæ pacis & tranquillitatis solito plus assiduos ferventesque Christianos in publicis comprecationibus obeundis, in cœtibus majore frequentia habendis ubi statis horis diurnis nocturnisque divinum officium peragebatur. Accedebat Ecclesiarum & oratoriorum major opportunitas, utpote quæ passim tunc aut ædificabantur; aut majori magnificentia sumptuque ornabantur. Fortasse non abs re fuerit, unam aliquam ex antiquis Christianorum Ecclesiis hoc loco describere, quantum quidem partim ex idoneorū Scriptorum libris, partim ex Antiquiorū, quæ hodiedum supersunt ædificiorum structurá in hanc rem colligere licebit.

CAPUT II.

Ecclesiarum Christianarum forma & ornatus.

CHristianorum Ecclesiæ, quoad fieri poterat, a profanis quibuscunque ædificiis separatæ erant, atque a strepitu & concursatione hominum remotæ, atriis etiam, hortis aut ædificiis, ád Ecclesiam ipsam pertinentibus circumdatæ. Primo statim

v Euseb hist. Eccl. l. 10. c 4.

statim aditu peristylium erat, sive atrium quadratum, porticibus undique inclusum, quos circumpositæ columnæ sustentabant, eo ferme mundo ac formá, quam hodie in monasteriis claustrisque cœnobiis ambitus quadrati repræsentant. Sub illis fornicibus mendiculorum greges morabantur, quibus licebat pro foribus Ecclesiæ stipem rogare. Medio in atrio unus aut plures prostabant fontes, manibus vultuique ante orationem abluendis idonei; in quorum locum subinde vasa lustralis aquæ subrogata fuerant. Duplex atrio vestibulum contiguum erát, ex quo per plures portas ingressus patebat in Basilicam, quæ totius sacræ ædis capacior pars, & veluti corpus erat. Dixi, duplex fuisse vestibulum; nam alterum eorum extra templum erat, alterum ad templum pertinebat proximo majorem Ecclesiæ portam existens, & a Græcis *Narthex* appellatur. Porro Basilicæ ipsi duo plerumque ædificia adjuncta erant; Baptisterium videlicet in ipso templi aditu extrinsecus situm, &, qua parte Ecclesia terminábatur Vestiarium sive Sacristia, ubi sacra Supellex asservábatur, qui locus *Secretarium* vel *Diaconicum* alias dicebatur; non raro etiam juxta templum ædiculæ sive cellulæ in longum procurrebant, privatim orantium & meditantium commoditatibus exstructæ, quas nos Sacella vulgo *Capellas* nominaremus.

In vernac. lingua Creutz Gang.

Idem de vita Constant. l. 3. c 34. 35 *&c. l. 4. c.* 58.

Paulin. Ep. 12.

Tota

Tóta Básilica in tres partes secundum latitudinem suam divisa erat per duplicem columnarum ordinem, quibus ex utróque latere porticus incumbebant, inter quos medium interjectum spatium templi navis erat, quemadmodum in antiquis omnibus Ecclesiis hodiedum observare licet. In extrema templi parte Orientem versus altare se attollebat, & post altare Presbyterium sive Sanctuarium, quæ secretior templi pars erat solis Sacrorum ministris pervia; quippe in qua divini officii tempore Presbyteri ex ordine assidebant, medium inter ipsos locum obtinente Episcopo, cujus exedra in extremitáte sacræ ædis collocata, intrantium per principem portam Fidelium obtutus veluti tertius sacræ structuræ meta terminabat. Altari septum Clathratum sive cancellis translucidum prætendebatur, quod chorum appellare liceat; ad ejus ingressum, aut in medio illius pulpitum eminebát, alias *Ambo* nominatum, eo gradibus ex utraque parte ascendebatur ad sacras lectiones publice obeundas. Nonnunquam duo id genus suggesta hinc atque illinc disposita erant, ut spatio, quod intermedium erat, vacuo relicto, liber ad altare ipsum prospectus esset. Unum ex hisce suggestis, quod ad dexteram Episcopi, & ad sinistram populi adversi stàbat, legendo Evangelio alterum e regioné oppositum recitandæ Epistolæ ser-

serviebat. Porro spatium, quod inter Ambonem sive pulpitum & altare medium erat, Cantores occupabant, qui simplices Clerici erant, ad id muneris speciatim destinati.

Jam altare ipsum mensá erat ex materia preriosa, ut argento aurove facta, gemmisque distincta; marmore ut minimũ aut porphyrite constabat, supra Martyris alicujus tumulum, quod per loci naturam liceret, erectum. Cum enim ad Martyrum sepulchra cogi Fidelium cœtus solerent, ibidem etiám Ecclesiæ exstruebantur, vel certe ad Ecclesias alibi exstructas Sánctorum Corpora transferèbantur. Hinc lex illa Ecclesiæ ortum habuit, prohibentis altare aliquod dedicari, nisi inclusis in illud Sanctorum lipsanis. Atque hæc Martyrum sepulchra vulgo *Memoriæ* aut *Confessiones* nominabantur; Ea subtus humumerant, ad quæ ante altare illis superædificatum descensus patebat. Extra sacrificii tempus nihil omnino altari impositum erat, nihil quod illud proxime contingeret; quatuor solum columnis ad totidem angulos erectis ara circumdabatur, columnis vero quoddám quasi tabernaculum imminebat, quo totum altare operiebatur, quod proinde *Ciborium* veteres nominabant, a forma videlicet suà, quæ crateri inverso similis erat.

Post

Post Altare, uti supra dicere instituti, Presbyterorum locus ac regio erat propria, reliqua æde sacra aliquanto humilior, & superne in angulatum fornicem desines; pars ista Ecclesiæ *Concha* appellabatur, eo quod superius conchæ in modum clauderetur; *Absis* etiam propter figuræ suæ cum conchyliis & arcu similitudinem dici solebat. Denique hæc ipsa templi postrema pars *Tribunal* etiam nominabatur, propterea quod in Básilicis profanis, id est, in Principum & Judicum palatiis hujusmodi locum magistratus occuparet, a ministris publicis stipatus. Editiore etiam loco Básilicæ ista pars sita erat, ut adeo altari appropinquaturum Episcopum per gradus ex ea descendere oporteret. *Ord. Rom.*

Universa moles hactenus descripta ad omnem magnificentiam exornata erat. Ciborium sive tegmen & umbráculum altáris una cum quator columnis, quibus innitebatur, sæpe solido ex argento conflatum erat; erantque eorum nonnulla, quæ ter mille márcas pondere æquarent, columnis siparia ex tela magni pretii interserta erant, ad altare omni ex parte cingendum. Ciborium imaginibus illustratum splendebat, cujus supremam partem crux, aut alia quædam pia imago solido ex auro facta terminabat; idem ornatus erat sacræ pyxidis, in qua divinissima Eucharistia ægrotorum in usus asservabatur, eam *Anast. in Sylvest. & in Leon III. &c. Idem in Steph. IV.*

nos

nos hodie *Ciborium* vulgo appellamus. Suspensas item ex altaribus videre erat columbas aureas argenteasve, Sancti videlicet Spiritûs symbolum. in quibus ipsum adeo altaris augustissimum Sacramentum interdum reponebatur. Nonnunquam tota Absis argento convestita erat, marmore quidem certe cum Absis, tum Concha nunquam non obducta erant. Columnae etiam, quae duplici ordine dispositae Basilicam intersecabant, marmoreae erant cum capitellis aeneis inauratis; denique marmore stratum erat ipsum pavimentum, & non raro eleganti opere incrustatum. Musivum illud opus vocant, cujus ad ornanda templa frequens usus fuit posterioribus praesertim saeculis; genus id est tessellati seu vermiculati operis ex frustis vitri diversicoloribus, ex quibus omnis generis figurae & imagines concinnantur, quae aetatem ita ferunt, nulla ut temporum injuria deleantur. Sed neque aliae picturae in Ecclesiis desiderabantur, quibus Ecclesiarum parietes maximam partem ornatae erant. Vidisses ibidem coloribus expressas Veteris Testamenti complures historias, eas inprimis, quae mysteriorum Novae Legis umbrae erant, ut Arca Noemi, Abrahami sacrificium, transitus maris rubri, Jonas in altum dejectus, & Daniel in lacu leonum conclusus. Pluribus in locis Servatoris nostri;

Concil. Constantin. an. 536. Act. 5.

Vid. Rom. subterran. l. 4. c. 6. 7. &c.

nostri; aut miráculorum ab ipso patratorum imago quædam se offerebat, qualia sunt multiplicatio panum & Lazari ad vitam suscitatio. Demum qualibet in Ecclesia repræsentabantur Martyris illius, cujus reliquiæ ibidem positæ erant, res pro Christo fortiter gestæ & exantlatæ. Duo in hanc rem illustria sane exempla Prudentius nobis suppeditat in hymnis de Ss. Cassiano & Hippolyto Mártyribus: Picturæ istæ eo præcipue spectabant, ut rudium hominum ingeniis librorum loco servirent, quemádmodum Gregorius II. Pontifex in Epistola secundá ad Imperatorem Leonem Jconoclastarum auctorem scribit: *Viri ac mulieres*, inquit, *pueros parvulos nuper baptizatos in ulnis tenentes, itemque florentes ætate juvenes & ex gentibus diversis profectos. indicatis digito historiis. eos ædificant, eorumque mentes & corda sursum ad Deum erigunt* Neque portis Ecclesiarúm sua deerant ex ebore, argento auroque ornamenta; semper vero templi foribus cortinæ prætensæ erant.

Prud. Peri. steph.

Greg. II Ep. 2da in Conc. Nicæn. 2da Oecum. VII Anastas. in Leon. III.

Diaconicum sive Sacristia insignis structura erat ipsi Ecclesiæ contingua, Hic sacra vasa, hic libri & vestimenta Sacerdotum, hic cætera Ecclesiæ sacra & pretiosa supellex custodiebantur, Fidelium quoque oblationes, ipsaque interdum Eu-

charistiá ibidem reponebatur. Eodem ad causas Ecclesiasticas secreto tractandas Clerum suum Episcopus convocabat; idem eo se referebat interdum, ut ad rem divinam rite faciendam sese compararet; quemadmodum de S. Martino Severus au- ahor est, qui tres ipsas horas in Sacristia abditus orationi ante Missam vácare solitus erat. Inde est, cur ei loco *Secretarii* nomen inditum fuerit, cujus spatium nonnunquam adeo capax erat, ut Conciliis ibidem celebrandis sufficeret. In nonnullis Ecclesiis geminæ ad supradictos usus aulæ erant, quarum altera sacro instrumento asservando, altera meditationi & consultationi attribuebatur.

In vita ipsius.

Paul. ep. 12.

Calicum & patenarum vis ingens erat; illi sub prima Ecclesiæ sæcula sæpe quidem vitrei solum erant, sæpe tamen persecutionum etiám durante tempore argentei aureique adhibiti sunt. Calices isti pocula erant, quibus Romani ad bibendum fere utebántur; patenæ autem lances sive catini erant, quibus escæ mensis inferebantur. Calices templorum maximam partem pondus trium marcarum habebánt; patenæ vero utpote prægrandes pelves sive pellubra, non raro quinque & quadraginta, semper vero triginta marcas graves erant. Jam inde ab iis temporibus cereorum in Ecclesiis usus receptissimus erat, quorum bene multi quamliber

Lib. Pont. in Mar. & alibi passim.

libet adultá die accendì solebant, interlucentibus magno numero lampadibus. Luminum hic tam creber usus tum temporis multoque ante publicæ lætitiæ & venerationis significatio habebatur. Nam Magistratibus Romanis ignis seu potius prunæ in foculis præferri solebant, ad odores nimirum incendendos; id quod Horatius adnotavit, vanitatem & insaniam exagitans Prætoris cujusdam vel potius Scribæ, qui *Fundis* in parvo & ignobili oppido magnos honores sibi sumebat, hujus enim.

Hieronym. in Vigilant. c. 3.

Prætextam, & latum clavum prunæque batillum

L. 1. Satyrâ 5. v. 34. &c.

false Poeta irridet. Præterea in *Notitia Imperii* præter cæteras notas symbolaque plurimorum Magnatum & Procerum mensa proponitur; in qua liber pulvinari impositus est, alias omnibus conspicuus, alias oblongo velo coopertus, candelis duabus supra candelabra ardentibus, quæ figura nostris altaribus admodum affinis est. Inventa fuere candelabra ex auro, Ecclesiis sub prima Christianismi tempora denodata, quæ septem supra triginta marcas adæquabant; argenteorum vero pondus ad quadraginta quinque ascendit. Usus item cereorum odoratorum ad suffitum videlicet faciendum in aliis etiam extra Italiam Provinciis deprehenditur, quemadmodum in

Anast. in Sylvest.

Gregor. Turon. l. 2.

in baptismo Clodovæi observátum fuisse accepimus.

Baptisterium figuræ plerumque rotundæ erat, aditumque habebat, ex quo per aliquot gradus descendebant immergendi in aquam, nam locus iste re ipsa balneum quoddam erat. Consecutis post temporibus satis visum fuit, ingens aliquod labrum balnearium ex candido rubrove marmore huic mysterio destináre; ad extremum vero tota baptisterii ratio ad pelvim sive pollubrum redacta est, uti nostra adhuc ætate fontes baptismales extant. Jam baptisterium suis quoque huic Sacramento maxime consentaneis picturis illustratum, vasisque aureis & argenteis compluribus ad sacrum Oleum asservandum, & aquam superfundendam locupletátum erat. Vasa hæc modo agnelli- modo cervi referebant figuram, illa sangvinem Agni Divini, qvo a sordibus peccatorum lavámur, ista animarum desideria repræsentabant, Deum & Cælestia sitientium. Interdum etiam S. Joannis Baptistæ imaginem videre erat, cum columba aurea vel argentea sacro fonti imminente, quo sic eo luculentius exprimeretur universa Christi in Jordane baptizati historia, & virtus Spiritus Sancti super aquas baptismales descendentis; quæ etiam rátio fuit, cur nonnulli aquam ipsam seu fontem baptismalem *Jordanem* appellarent.

Paulin. Ep. 12. Lib. Pontif. in Innoc. I. & alibi

Psal. 41. v. 1.

Conc. Constantinop. an. 535.

Hunc

Hunc ferme in modum exſtructæ erant veteres Eccleſiæ & ædificiá illis adjuncta cætera enim, quæ huc referri deberent, prætereo, hujusmodi ſunt Epiſcopale palatium & Clericorum habitatio, ex quibus progreſſu temporis Canonicorum ſepta & monaſteria exorta ſunt; item hoſpitales domus diverſi generis, quæ maxima ex parte prope ſacram & principem ædem exſtructæ erant,

Et tamen Gentíles eorum temporum Fidelibus exprobrabant,quod neque templa neque altària, neque ſtatuas, neque ſacrificia feſtaque ulla haberent; quibus Chriſtiani, ut objecta diluerent, non aliud fere reſpondebant, quam fána illa & aras cruentaque Sacrificia nimium quantum indigna eſſe Dei Maieſtate. Deum non aliam habere ſui imaginem, quam Filium Unigenitum ſuum & animas rationales, quæ filii Dei imitatione Patri ipſi efficiantur ſimiles; nec deeſſe ſibi ullo aut loco aut tempore altaria & ſacrificia, laudes nimirum divinas, quas ex animis charitate inflammatis, veluti fumantibus aris identidem offerant; denique vèros ac genuinos Chriſtiános nullam diem non habere feſtum; perpetuumque gaudium gaudere propter caducarum rerum deſpicientiam, propter ſecuræ conſcientiæ tranquillitatem, ac cœleſtium bonorum exſpectationem limpìdiſſimæ voluptatis plenam, Hæc aliaquæ

que his similia ad Gentilium obtundendas criminationes Christiani reponebant; quin præterea disertius responderent, dicerentque, esse sibi omnino templa & altaria etiam materialia perinde atque Ethnici habeant, licet figura ab istis diversa.

Aliud nimirum Gentiles, aliud Christiani cogitabant cum templa aut altaria nominarentur. Gentilibus enim altare nihil aliud erat, quam focus quidam e lapidibus in foro aliquo ante templum, aut idólum, & quidem sub dio exstructus in quo victimarum carnes cremari, vinumque lac, mel, & alia libationum genera effundi mos erat. Iidem templum accipiebant pro ædificio singulari figuræ alias rotundæ, alias oblongæ, in cujus structura proportio certaque ornamenta pro diversitate divinitatum diversa etiam ipsa erant; quemadmodum apud Vitruvium legere est. Generatim tamen id genus templa maximam partem angusta erant, fenestris aut planè destituta, aut modica luce per illas admissa subobscura; nec quidquám aliud in iis præter Deorum simulacra & donaria illis facta visebatur; populus enim intro succedere non solebat, sed pro templi foribus altare ipsum circumstabat. Contra vero Christianorum Ecclesiæ aulis quam fanis similiores erant, cujusmodi videlicet Basilicæ fuerunt a

Vitruvio descriptæ, aut scholæ publicis usibus apertæ. Eminebat in illis tribunal cum suggestu sive cathedra, quam totius conventus Præses occupabat; præterea offerebant sese pulpitum pro lectoribus, scamna pro auditoribus, libri, armaria, lampades, candelabra, mensa denique, cujus quis usus esset, Gentiles ignorabant, nisi quod scirent epulas interdum Christianos inter se communes habere. Accedit, quod cœtus suos & loca, ubi cœtus cogebant, Christiani frequentius translatis vocabulis efferre solebant, nominando illos Ecclesiam, Basilicam, Oratorium, Domum Dei, *Dominicum* sive quod idem ex Græco sonat *Kyriacum.* ex quibus ultimis vocabulis voces Germanicæ *Dom* & *Kirch* ortum duxere, raro ea loca templum, nunquam vero, quod legere meminerim, delubra aut fana appellabant; sæpe etiam altaris loco *sacram mensam* dicebant. Progrediente tamen die ipsa Gentilium fana ad veri Numinis cultum adhibita fuerunt, siquidem ad Religionis nostræ functiones idonea haberentur. Quemadmodũ Romæ Pantheon, Minervæ, Fortunæ aliaque Deorum Dearumque Fana in Ecclesias Christianas conversæ sunt.

Vitruv. L. 4. c. 1. Baron. ad Martyrol.

Non amplæ solum ornatæque erant Christianorum Ecclesiæ, verum etiam, ut mundæ essent ac probe custoditæ, solicite curabatur; S. Hieronymus Nepotianum

Pres-

Presbyterum laudat, cujus cura diligentiaque factum fuit, ut Ecclesiæ ipsius altare perpolitum, muri a fuligine, pavimentum a pulvere & sordibus defensum, sacristia nitida, vasa pellucida conservarentur, assiduusque ad Eccclesiæ fores janitor excubaret. Hujus generis ministeriis inferioris ordinis in Ecclesia ministri deputati erant, quocunque demum nomine illos appellare libeat; nam Janitores, Mansionárii, Cubicularii, Æditui vocabantur, ingensque semper in maioribus Ecclesiis numerus eorum erat. Ex formula ordinationis colligitur officium Janitorum fuisse, ut dato signo statis horis Fideles ad comprecationem advocarent, sive campanarum pulsatione, ex quo earum usus receptus fuit, quod sæculo sexto exeunte contigisse creditur, sive alia quadam ratione id fieret; præterea portam Ecclesiæ reserare, ad eandem excubare, infideles atque excommunicatos inde prohibere, claves perpetuo asservare, denique ne quid per negligentiam deperiret, cavere ostiarii debebant. Ex dialogis S. Gregorii discimus, lampadum curam Mansionariis demandatam fuisse; hi ipsi ex inferiore Clero ministri festis ac solennibus per annum diebus Ecclesias pro suo munere exornabant, alias peristromatis ex serico aliove pretioso opere contextis, alias floribus & virentibus ramis sacros parietes

Baron. Anno 58 n. 102.

Dial. 1. c. 5 & 3. c. 24

scite

scite vestiendo; verbo, in adornando curandoque sancto loco nihil ab ipsis prætermittebatur, quod ad ingenerandum hominibus Domûs Dei reverentiam & pietatem necessarium esset. Porro id genus functiones tanti fiebant, ut Laicis eas obire non permitteretur; eamque ob causam consultius visum fuit, ad Diaconorum sublevandos labores novos Clericorum ordines, qui muneribus illis præficerentur, constituere.

CAPUT III.

Religionis exterior apparatus, eiusque necessitas.

Etsi Christiana Religio tota spiritualis sit, atque ad interiorem hominem præcipue spectet; nihilo tamen minus Christiani homines utique sunt cæteris mortalibus similes, perindeque ac reliqui sensuum & phantasiæ objectis affici ac moveri solent. Imo dicere ausim, quam plurimos ipsorum in omni actione sua vitæque totius ratione sensibilium rerum ductum ac veluti magisterium unice sequi. Quotus enim quisque est, qui animali hominis parte prorsus superior totus sit in operationibus mere internis & intellectivis? Imo qui tales sunt, quoties ab iis distrahi & avocari non solent? Igitur rerum

externarum adminiculis fulciri pietatem nostram & adjuvari omnino necesse est. Si, quæ Angelorum natura est, puri spiritus essemus ab omni corporum concretione semoti, perinde in uno atque in alio loco animum per orationem ad Deum erigere nullo negotio possemus; nec fori aut compitorum strepitus, nec militarium tumultus stationum, nec popinarum nidor & helluonum in illis temulentæ voces, nec ullius denique cloacæ sordes ac fœtor ab orando Deo animum avocarent nostrum. Cur autem omnia hæc loca nimium quantum ad colligendum animum inepta evitamus; nisi ut sensuum nostrorum ac phantasiæ lubricitati & naturali ad exteriora effusioni utcunque occurramus? Nobis profecto, non Deo, templis & oratoriis opus est. Is enim locis omnibus ex æquo præsens adest, semperque ad nos audiendos paratus; nos vero ad colloquendum cum ipso haud perinde quovis tempore ac loco expediti sumus. frustra igitur certa quædam loca divino cultui sacramus, nisi eadem a nobis ita curentur, exornenturque, ut ad ingenerandam pietatem opportuna sint. Nos ipsi nonne indies experimur, quam difficile sit orationi vacare in Ecclesia loco tam incommodo sita, ut vicini fori aut frequentatæ ab hominibus plateæ strepitus e propinquo exaudiatur, tam pulverulenta insuper maleque perpurgata, vix

ut

ut invenias, ubi pedem figere, ubi considere, aut ponere genua commode liceat; in Ecclesia denique, ubi unda populi ultro citroque commeantis nunc in latera, nunc in pedes orantium incurrat, ubi infantium ejulatu, exactorum pro stipe corroganda, omnisq; generis mendicabulorum clamoribus perpetuo interpelleris? Jam si ad hæc aurium tormenta oculorum etiam, quod sæpe fit, offensiones accedant, ut cum præter architecturæ, quam Gothicam vocant, obsoletam formam, templi cætera quoque ornamenta & sacra supellex ingratum oculis spectaculum præbent, cum picturæ aut fumo pulvereque squallentes, aut a solis incidente lumine aversæ obscuroque loco positæ, statuæ item rudi opere elaboratæ, turpiterve mutilatæ passim extant: cum peripetasmata historias profanas, imo nonnunquam parum ædificationi consentaneas repræsentant, aut cum æditui imperitia contra ordinatæ structuræ modum ad regulam perperam dispósita videntur; si denique dum res divina solenniter peragitur, plures ex omni parte Missæ privatæ celebrentur, aliis interim in odeo concinentibus, aliis privatim preces sacras persolventibus, aliis ad confabulandum, aliis ad dormiendum conversis, qui tandem inter tot ac tanta sensuum ávocamenta animus sibi constabit? E contrario Ecclesiam cogita a turba & tumultu remotam,

stru-

structuræ insuper elegantia, & sacri instrumenti apparatu ac nitore præstantem, in qua bene coordinatus Clericorum chorus divini officii partes omnes ingenti cum modestia ac dignitate obeat, sane ad assistendum tali in loco rei divinæ, & ad preces non tantum lingva, sed intimo animi
1. Cor. affectu, quod Apostolus monet, fundendas,
14. v. 15. nullum efficacius afferri posset invitamentum.

Probe ista animadverterant primorum Ecclesiæ sæculorum sapientissimi Præsules. Erant isti partim Græci, partim Romani, sæpe quidem philosophicis Disciplinis, semper vero urbanitatis & decentiæ præceptis egregie imbuti; intelligebant, ad excitanda in hominum animis præclara sensa honestissimaque de rebus sacris ac divinis judicia momenti plurimum habere ordinem, dignitatem & munditiam rerum, quæ sensibus objiciuntur; necessario etiam ex hac rerum æstimatione voluntatem tenere commoveri & colliquescere; Sed neque illud eos latebat, ægre admodum fieri posse, ut ad sublimia sefeque digna hominis animus assurgat, quamdiu corpus ipsum impeditur, & phantasia externarum rerum imaginibus veluti sauciata langvet. Interim tamen pietatem tanti æstimabant, ut eam, quoquo modo possent, ad juvandam curarent. Quare illud inprimis agebant, ut tota publici Divinique Officii ratio, præcipue

cipue vero Augustum Altaris Sacrificium, quanta maxima fieri posset, majestate & splendore perageretur, utque populus eidem quam commodissime interesset, quo sic suus domui Dei amor, debitaque veneratio constaret. Procul tamen a Sacris Ædibus fastum omnem profanum, procul effæminatum luxum, & quidquid denique lenocinari animis, & sensus externos ferire poterat, proscribebant; neque enim ad permulcendos molliter sensus, sed ad eosdem, ut divinis vacare possent, sublevandos exterior in templis pompa spectabat. Clarius ista percipientur, ubi totam antiquorum Liturgiam ordine enarravero.

CAPUT IV.

Liturgiæ Ordo.

Singulis Dominicis Festisque Sanctorum Martyrum & jejunio dicatis diebus, denique sæpius per annum pro diversa cujuscunque peculiaris Ecclesiæ consvetudine divinum sacrificium offerebatur; votivæ etiam Missæ pro publicis & privatis necessitatibus fiebant. Dominicis ac festis diebus res divina peragebatur finita Tertia; diebus vero jejunii tardius pro eo, ac refectio corporum nunc post Nonam, nunc a Vesperis præscripta erat. Ubi primum hora rei sacræ destinata illuxit, Fi-

Cod. Sacram. Edit. Rom. 1680.

de-

delium multitudo ad ædem principem confluebat, indeque una cum Episcopo & Clero universo ad locum, in quo statio illius diei indicta erat, se conferebat; hunc enim in modum Episcopus Ecclesias omnes suæ curæ creditas per se ipse obiens lustrabat, atque ex hujusmodi visitationibus, cum collectus in unum corpus omnis populus ordinatim procederet, Processionum ut vocant, sive supplicationum apud Christianos mos & nomen fluxit. Interea temporis intrante populo, singulisque locum occupantibus, a choro psalmus aliquis cum Antiphona sua decantabatur, cui proinde Introitus nomen in Ecclesia inditum hodieque manet. Diaconi & qui his juvandis subrogati erant, Subdiaconi videlicet, atque Ostiarii certum singulis, ut quisque templum ingrediebatur, locum assignabant; ut adeo in tanta multitudine confusionis esset omnino nihil. Hoc ordine collocati, ac veluti in stationes suas distributi Fideles, preces aliquamdiu taciti fundebant: tum Episcopus toto cœtu salutato, clara & elata voce comprecationem illam oratione quadam concludebat, quæ Collectæ nomen ea re sortita est.

Ord. Rom.

Secundum hæc in solio suo Episcopus assidebat, quod in extrema & eminentiori Basilicæ parte collocatum veluti centrum ac scopus erat, in quem conversi totius multitudinis obtutus collinearent. Hac

2. Petr 5. v. 3

ratio-

ratione Pastorum quilibet visibilis quædam Dei imago, & ut sacræ paginæ loquuntur, forma gregis suæ erat, perinde ac Christus ipse splendor est & imago Dei Patris. Episcopum Presbyteri ad dexteram & sinistram medium in orbem, quæ absidis figura erat, ipsi quoque sedentes circumdabant, Diaconis in pedes erectis. Ecclesiæ ista facies paradisi referebat imaginem a S. Joanne in Apocalypsi descriptam. Episcopus cum volumine in manu, quo modo Ecclesiæ Patres depingi solent, throno insidens vicem ac personam sustinebat ipsius Dei sub habitu & specie humana in throno sedentis, librumque manu tenentis intus & foris scriptum. Porro Presbyteri viginti quatuor Seniorum augustum Senatum repræsentabant; Diaconi cum reliquis Sacrorum ministris Angelos exprimebant, administratorios videlicet Spiritus, ad Dei capessenda jussa perpetuo expeditos. Ante solium Episcopale septem candelabra cum altari posita erant, in quo primum incensa multa, quæ sunt orationes Sanctorum, tum vero Agnus sine macula offerebatur, etsi aliis ac perigrinis speciebus panis propositus. Denique turmæ Fidelium, quibus Basilica tota replebatur, non ineleganter turbam illam magnam referebant, quam dinumerare nemo potest, Beatorum inquam Cælitum, *qui stant ante thronum & in conspectu Agni*

1. Cor. 11. v. 1

ad Tit. 2. v. 7.

Apoc. 4

Apoc. 7. v. 9 &c.

ami-

amicti stolis albis: & palmæ in manibus eorum: & clamant voce magna dicentes: Salus Deo nostro, qui sedet super thronū, & Agno. Hæc ferme cœtuum in Ecclesiis agi solitorum forma erant.

Ubi quisque certo loco constitit, Lectorum unus aliquis ambone conscenso e Vetere primum, subinde e Novo Testamento partem aliquam recitabat, nimirum ex Actis aut Epistolis Apostolorum; nam Evangelii lectio Sacerdotibus aut Diaconis reservata erat. Qvo svavior auditu sacra hæc lectio esset, otiumque & opportunitas daretur tum audientibus, attentius lectā meditandi, tum Lectoribus, a contentione vocis sese colligendi, Psalmorum, Antiphonarum, & festivo vocis Alleluja interposito concentu lectio ipsa condiebatur. Omnes hujusmodi lectiones peragebantur in lingva vulgari, id est, in ea, qua honestiores illius provinciæ homines utebantur. Etsi enim Augustini ætate lingva Punica apud plebejos in Africa homines in usu erat; nullibi tamen legitur, ad Ecclesiasticum officium adhibitam fuisse. Contra vero in Thebaide lectiones sacras Ægyptiaco sermone obitas fuisse necesse est, quandoquidem S. Antonius, qui præter hanc lingvam nullam aliám callebat, audita Evangelii lectione ad Deum conversus fuit. In Syriá superiore Episcoporum pauci admodum Græce docti erant, nec

Vid. S. Ant. c. 1.

nec alio, quam Syriaco, sermone ipsi utebantur, id quod ex Conciliis, quibus interfuere, comprobatur, ubi interprete indigebant. Conc. Eph. Conc. Chalced. Act. 10.

CAPUT V.

Conciones.

Lectionem sacram concio excipiebat. Antistes Evangelium aut aliam Divinæ Scripturæ partem explanabat, ex qua librum persæpe integrum a capite ad calcem sumebat exponendum; argumenta quidem certe talia inde seligebat, quæ plus in vulgus utilitatis & momenti haberent; exempla hujusmodi expositionum continuarum in homiliis bene multis Chrysostomi, & in Tractatibus S. Augustini in Psalmos, in Joannem & Epistolas Paulinas occurrunt. Selectoria vero e libris sacris decerpta argumenta in operibus Divi Ambrosii sese offerunt, qui Sanctum Basilium imitatus, primum quidem de opere sex dierum, tum vero de Noemi, Abrahæ aliorumque in sacra historia sanctitate insignium Virorum rebus gestis tractat. Dissertationes istæ Patrum & Commentarii in sacras litteras maxima ex parte, nihil aliud fere sunt, quam conciones vel ab ipsis Patribus subinde litteris mandatæ, vel ab aliis, qui concionibus intererant,

notis compendiariis, de quibus supra egi, calamo exceptæ. Nimirum non erant Patres illi de genere male feriatorum sophistarum aut declamatorum. qui prava contradicendi mutuo æmulatione, aut alios superandi studio incensi, nunc in scholis publice disputabant, nunc ad eruditionis suæ præstantisque ingenii ostentationem in Musæis abditi, volumina per otium conscribebant. Sed Pastores animarum erant infinitis negótiis distenti, quæ proximi charitas exigebat, maxime vero subditorum componendis litibus occupati; qui tamen non omittebant quam frequentissime ad populum verba facere, ut muneris sui partem illam explerent, quam ministerio suo maxime omnium propriam esse ac necessariam judicabant. Etenim sub prima Ecclesiæ sæcula Episcopi omnes, extraque illos ferme nulli concionabantur. In Oriente primo acciri ad habendas conciones nonnulli ex Presbyteris cœperunt, qui ad id genus functionis singularibus naturæ & gratiæ præsidiis instrùcti erant, qualem S. Joannem Chrysostomum fuisse constat; in Occidente vero inter primos qui ex ordine Presbyterorum ad populum de suggestu agerent, S. Augustinus fuit.

v. Aug. de opere Monach. c. 29 & Ep. ad Diose.

vid. Syneс. Ep. 57.

Atque hæc causa est, cur nostri ævi concionatoribus Patrum sermones usque adeo alieni videantur ab idea & methodo concionandi, quam sibi hac ætate sequendam

pro-

proposuerunt. Sunt illi nimirum plano simplicique stylo conscripti, in quibus neque artificium, neque partitiones oratorias deprehendas: absunt subtiliores ratiocinationes, absunt curiosarum pigmenta eruditionum: sine motu vehementiore affectuū nonnulli, plerique autem oppido breves sunt. Fateor equidem, non id spectásse sanctos illos Episcopos, ut clari perfectique orátores aut concionatores haberentur; sed illud spectabant unice, ut familiariter cum suis, quemadmodum magistri cum discipulis, cum liberis patres, agerent. Eandem ob causam exhortationes ipsorum homilias græce, latine sermones nominamus, id est, familiaria colloquia. Docerè populum cupiebant exponendo Scripturas Sacras, non per criticas curiosasque rerum indagationes ac quæstiunculas, uti Homerum & Virgilium Grammatici in scholis explicabant, sed per traditiones Patrum antiquas, ut tam fidem stabilirent, quam morum efficerent emendationem. Commovere quidem & flectere Auditorum animos studebant; hoc ipsum vero non tam eloquentiæ vi, adhibitaque in declamando contentione, quam veritatum, quas proponebánt, magnitudine, proprii muneris maiestate, vitæ totius sanctimonia, promptaque in omnes charitate consequi allaborabant.

Dicendi genus Auditorum captui accommo-

modatum erat. Inter omnia Augustini opera ipsius ad populum sermones omnium simplicissimi humilimique sunt, atque adeo breviore facilioreque stylo, quam ejusdem Epistolæ, conscripti: hos enim sermones in oppido angusto atque obscuro ad institores, ad rusticam nauticamque turbam habuit. Cæterum idem S. Doctor in Polemicis libris, iis præsertim, quos contra Julianũ edidit, luculenter demonstrat, nequaquam se Rhetoricæ artis, quam olim publice ac longo tempore docuerat, oblitum fuisse. Contra vero Sanctorum Cypriani, Ambrosii & Leonis conciones, utpote in civitatibus peramplis habitæ, longe elegantiores atque ad regulas oratorias magis exactæ sunt; diverso tamen stylo exaratæ, pro cujusque Patrum privata indole, temporumque, in quæ quisque inciderat, varia consvetudine. Neque enim rerum piarum, quæ a Patribus tractabantur, argumentis adscribi possunt, quæ humaniorum litterarum periti in voluminibus Patrum censorio stylo configunt, cum modo latini sermonis puritatem in iis desiderant, modo probationum haud satis firma momenta & exornationum juveniles flosculos, allegorias itquam longius accersitas, verborum argutias, & l cutionum ac vocum veluti rhythmicos concentus reprehendunt. Temporum ista non personarum aut materiarum vitia erant, nec dubium est, quin Patres,

si Ciceronis aut Terentii ætate viverent, cum Cicerone etiam & Terentio locuti fuissent.

Minor est Patrum Græcorum ab antiquis optimisque suæ nationis Scriptoribus in stylo differentia; minus enim Orientis lingua mutationi & corruptelæ obnoxia fuit, studiis litterarum in ea orbis parte majori cura diligentiasque conservatis. Patrum istorum opera maximam partem solide conscripta, lectuque in paucis amœna sunt. Chrysostomus ante alios omnes concionatoris omnibus numeris absoluti exemplum mihi semper visus fuit. Is homilias suas orditur ab expositione Divinæ Scripturæ, dilucidando versus alios ex aliis, ex ordine ac numero, quo prius a Lectore fuerant recitati in iisque explicandis sensum investigat maxime genuinum, & formandis moribus aptiorem; ad extremum Perorationis loco adhortationem subnectit moralem, quæ sæpe non tam argumento præmissæ expositionis, quam Auditorum præsenti necessitati convenit, quippe quam vigilantissimis juxta & sapientissimus Pastor probe perspectam habebat. Illud etiam in ejusdem sermonibus animadvertas, vitia ipsum speciatim insectari, & ut ita dicam, singulari cum unoquoque illorum congredi certamine, nec ante finem facere unum aliquod oppugnandi, quam illud vel plane exterminatum,

vel

vel certe potissima ex parte compressum ac domitum videret. Digna sancto viro sententia est, quam is in homilia sexta in 1 Ep ad Timotheum pronunciavit; postquam enim maledicendi & convitiandi pravam consvetudinem graviter in ea reprehenderat, ita demum concludit: *Millies jam hujusmodi monita dedimus neque ea repetere unquam desistemus, n... o aliquis profectus eveniat*: & post pauca: *nunquam eadem vobis repetere desinemus donec penitus insinuentur cordibus vestris, atque in opus erum pant.*

Sancti isti & Apostolici Prædicatores, quos ad docendum nec propriæ laudis nec privatæ utilitatis cupiditas, sed divinæ gloriæ & animarum lucra exstimulabant, id unum propositum habebant, eo ingenii & eloquentiæ nervos contendebant omnes, ut animas ad Creatorem suum adducerent, neque incredibili suo zelo factum satis putabant quamdiu ipsi oculis non cernerent animorum commutationem minime dubiam aut vulgarem. Sic D. Augustinum constat negotium sibi sumpsisse, abolendi morem celebrandorum conviviorum, quo die Martyrum anniversaria agebatur memoria, propterea quod ejusmodi convivia in commessationes denique & intemperantiam abirent; morem huncquantumvis inveteratum S. Doctor abrogavit, proponendo luculentas Divinæ Scripturæ sen-

sententias, gulæ vitia damnantes, duosque continuos dies etiam cum lacrymis populum cohortando, donec demum Auditorum videret expugnatos animos. Non erát tunc temporis metuendum, ne eadem in Ecclesia pugnantes inter se doctrinæ traderentur; neque enim præter Episcopum alius sive Concionator sive Doctor erat, nisi forte Sacerdos aliquis ab Episcopo delectus, qui júbente ipso atque ut plurimum præsente ex superiore loco verbá faceret.

Concionis tempore omnibus ac singulis, quamvis Ethnici essent, aditus ad templum patebat atque; hinc erat illa Pátrum in occùltandis fidei arcanis dogmatibus circumspectio, ut de illis aut nihil admodū, aut subobscure tantum loquerentur. Eadem causa fuit, cur sermonem non raro Patres instituerent, qui ad Paganos ab errore ad sanam fidem adducendos spectaret, cujusmodi sermones inter opera ipsorum multi extant. Quo tempore lectio sacrá instructioque habebatur, Aùditores ordine considebant, viris unum latus, alterúm fœminis occupantibus utque magis istæ áb illis remotæ essent, porticus templi, siquidem tales Ecclesia haberet; conscendebant. Principem in sedendo locum provectioris ætatis homines obtinebant; Parentes ante se tenebant liberos suos, nam hunc quoque tenellúm gregem ad Ecclesiam admittebant, dúmmodo Baptismo initiátus esset;

Constit. Apost. l. 2. c. 57.

junio.

juniores natu, ubi scamna & sedes occupata jam erant, pedibus innitebantur. Diaconorum erat perpetuo invigilare, ut ordo hujusmodi diligenter observaretur, item cavere, ne quis strepitus excitaretur, ne dormitare quidam inciperent, aut vicino arridere levius, aut in aurem inutilia insusurrare, aliterve oculis & digitis annuere auderent; verbo, ut omnia modeste & in silentio fierent, Diaconi curabant. In Africanis Ecclesiis populus omnis in pedes erectus instructiones publicas excipiebat, quemadmodum S. Augustinus author est, qui tamen consvetudinem sedendi in Ecclesiis, quas ipse transmarinas vocat, receptam commendat.

Constit. Apost. l. 8. c. 11.

Aug. de Catech. Rud. c. 13.

Ut dicendi finis est factus, facessere ex Ecclesia jubebantur, quibus assistere sacrificio non licebat, *Audientes* * inprimis & Gentiles. Subinde orationibus pro Catechu-

* *Audientes*: isto nomine generatim interdum accipiebantur Energumeni pœnitentes, & qui sine catechesi prævia instructi Baptismum expetebant; siquidem omnibus istis audire Verbum Dei permissum erat. Alias vero & hoc maxime loco per *Audientes* intelliguntur ii, qui in peccatis hærent impœnitentes, quos Auctor Ecclesiasticæ Hierarchiæ Cap. de Communione, impurissimum genus Energumeno-

techumenis recitatis isti quoque, simili modo Energumeni precibus antea Deo commendati, templo exire jubebantur; idem Competentibus ** ac denique Pœnitentibus fiebat. Hunc in modum perpurgato Fidelium cœtu, ac veluti zizaniis liberato tritico, preces ordine fundi cœperunt pro universa Ecclesiá, pro singulis Clericorum & populi gradibus, pro omnis generis afflictis hominibus, denique pro inimicis & persecutoribus. Diaconus pro quonam orandum esset, prius admonebat populum, tum Episcopus orationem recitabat

Const. Apost. l. 8 c. 6. &c. & Laodic. c. 19.

rum vocat, utpote qui a vitæ pristina dilapsi sanctitate, mores & studiá Dæmonum induerunt; quos proinde, etsi olim baptizatos, ante Catechumenos & Energumenos, quorum videlicet corpora solum obsidebat dæmon, templo ejici a Diacono, moris erat, neque ad ullam rem divinam admitti, præterquam ád audiendarum Sacrarum explanationem, quo tandem converterentur.

** *Competentes*, álio nomine *illuminati* appellabantur, eoquod fidei doctrina jam satis eruditi báptismi gratiam simul expetebant, quemadmodum ex S. Augustino B. Isidorus vocem hánc explicat, L. 2. de Eccl. officiis Cap. 21.

tabat eo plane modo, qui hodiedum in die Parasceves solennis est Nam in aliis per annum Missæ Sacrificiis preces illæ nostro ævo supplentur orationibus ante & post concionem usitatis Secundum ista Episcopus altera vice salutem & pacem omnibus impertiebatur, populo respondente: *Et cum Spiritu tuo.* Tum Diaconus clara voce exclamabat. *Ne quis contra quempiam. Ne quis in hypocrisi. Osculamini vos mutuo osculo sancto.* Nec mora, ut quisque alteri vicinus erat, in signum perfectæ charitatis, qua præsentes inter se jungebantur, osculum pacis eidem dabat, rursumque ab eo accipiebat: Clerici quidem separatim, inter Laicos autem viri viris & fœminis fœminæ, singuli singulis in suo ordine ac sexu publicam hanc pacis & concordiæ significationem mutuo sibi impendebant.

Cypria. Apolog. l. cit c. 11. & 12.

:*****************

CAPUT VI.

Sacrificium & Sacrificantium Vestes.

PRæmissis omnibus, quas hactenus exposui, dispositionibus, sacrificium denique initium sumpsit. Diaconi a Subdiaconis adjuti mappam unam supra altare, alteram supra abacum explicabant, altari vici-

vicinum, quem vulgo credentiam ex Italico idiomate nominamus; iidem vasa omnia sacra præparabant, interque illa patenas præcipue & calices, quæ omnia, ut mundiora conservarentur, velo superimposito cooperiebant. Rebus ita ordinatis Episcopus altari appropinquabat *splendidam vestem indutus*, uti loquitur Author Constitutionum Apostolicarum, quæ res argumento est, jam tum temporis peculiares habitus ad altaris obeunda ministeria in usu fuisse; etsi figura a profanis indumentis nihil differrent. *Casula* enim ætate Augustini vestimentum erat vulgare & passim apud Laicos usitatum. *Dalmatica* inde a temporibus Valeriani Imperatoris adhibebatur; *Stola* nihil aliud erat, quam pallium talare ipsis adeo fœminis familiare, hanc Stolam nos cum Oratorio confundere cœpimus; erat autem *Orarium*, quo nomine Stola Sacerdotalis exprimenda esset, fascia quædam linea, urbanitatis causa ab hominibus decori ante alios studiosis gestari solita ad sudorem a collo vultuque detergendum. Denique *Manipulus* aliud non erat, quam linteum sive mantile brachio injectum, quo sic majore cum munditia sacræ mensæ inserviretur. *Alba* etiam, id est, tunica ex lino vel lana candidi coloris, initio quidem Clericorum non erat proprius habitus, sed aliis etiam communis: nam Vopisco Authore Aurelianus

Lib. 8. c. 12.

August. de civ. Dei l. 22. c. 8.

Thomass. discip. p. 1. l. 2. c. 44.

Vopisc. in Aurel. nus Imperator dunavit populo Romano *tunicas albas manicatas* uti & Oraria, quibus narium pituita exciperetur. Sicuti autem, ex quo Clerici Albam ejusmodi perpetuo gestandi consvetudinem invexerunt, Sacerdotibus commendatum fuit, ut aliam ipsi consimilem vestem in promptu haberent, eâque, ut nimirum candidior servaretur, nonnisi ad ministerium altaris uterentur, ita credere juvat, eosdem, cum Casula & Dalmatica nunquam non induerentur, alias præterea ejusdem formæ vestes habuisse, uni sacrificio rite peragendo destinatas, quæ tamen & materia, & coloris splendore aliis id genus in populo usitatis vestibus essent superiores. Illud ante omnia sacri Canones Presbyteris ac Diaconis commendatum volebant, ne quis eorum ministrare, aut operari sacris absque Orario auderet, cujus tamen usu inferioris ordinis Clericis interdictum erat.

Hom. Leon Pap IV. tom. 8. conc p. 34.

Conc. Brac 4. cap. 3. An. 675.

Id nimirum Ecclesia spectabat, ut sacrorum ministri exteriore etiam corporis cultu habituque præclaram Laicis honestissimamque opinionem functionum suarum imprimerent; ut oris, manuum ac vestimentorum nitor veluti radii quidam essent sublucentis ex animo internæ puritatis & innocentiæ; ut denique Clerici omnes modestia sua, gravitate & in sermone, incessu atque obtutu moderatione reverentiam & pietatem in plebe conciliarent,

Conc. Laod. c. 22. 23.

tent. Profecto in exterioribus hisce exigendis tanta erat, tamque delicata Episcoporum vigilantia ut S. Ambrosius certum hominem, etsi cæteroquin a sedulis officiis commendatum, inter Clericos cooptare noluerit ea solum causa, quod *gestus ejus nimium dedeceret* Alterum quoque cum in Clero jam reperisset, nunquam in sacris assistere sibi ac ministrare passus est, eoquod *insolentiore incessu oculos feriret* Et comprobavit sine eventus, non fefellisse S. Præsulem sententiam suam; nam ut ipsemet eodem loco narrat, uterque illorum ab Ecclesia recessit. Meminerint, qui ista legunt, Patres istos partim Græcos partim Romanos fuisse in summa morum elegantia educatos, scitæque urbanitatis sapientissimis præceptis a puero imbutos.

Episcopus ubi ad aram venit, ex manibus Diaconorum oblationes, quas isti viritim collegerant, excipiebat In aliquibus tamen Ecclesiis usu receptum erat, ut Episcopus ipsemet a personis spectatioribus oblationes hujusmodi acciperet. tales Romæ erant senatorii ordinis utriusque sexus homines. Nam Christiani ad unum omnes, Summi Infimique, Magistratus atque adeo Principes ipsi divino officio intererant. Nihil altari, præter panem & vinum, sacrificii videlicet materiam, imponebatur; cæteram sive annonam sive supellectilem sacram, ac denique quidquid ad Ecclesiarū usus

Ord. Rom.

Can. Apost. 3. 4.

usus a Fidelibus offerebátur, Diaconi in separatis armariis asservabant. Primitiæ tamen frugum altári imponebantur, sub finem Sacrificii benedicendæ.

Ad conficiendam Eucharistiam panis alius non adhibebatur, quam qui a Fidelibus oblatus, & ab Episcopo benedictus esset, ex hoc pane benedicto quidem, at non consecrato nonnihil absentibus mitti solebat, in signum videlicet mutuæ concordiæ & communionis. Volebant Pastores ut Christiani, quotquot áderant, vel certe ii omnes, qui communicaturi erant, nemine excepto oblationem suam facerent; nimisque indignum videbatur, velle divites de pauperum oblationibus communionem suam accipere. Ipse etiam Episcopus pro se panem offerebat, eratque Romæ Subdiaconus, qui hanc ob rem *Oblationarius* dictus fuit. Iraque panum oblatorum tanta vis erat, ut merito in nonnullis Ecclesiæ Collectis sive orationibus altaria muneribus cumulata dicantur. Corporale autem, ut vocant, oblonga mappa erat, a duobus Subdiaconis ad altaris utrumque latus protensa. Archidiaconi erat, altare veluti sacram mensam recte componere, panibus ordine collocatis, caliceque apposito, in qvo vinum rite consecrandum erat; quoque certius constaret, purum ac defæcatum illud vinum esse, argenteo in vase cribri adinstar terebrato, percolabatu.

Ordo Roman. Orat. secret inNativ S. Joàn.

Pane

Pane & vino rite oblatis, Episcopus incensum quoque offerebat. symbolum videlicet orationum, quas Fideles fundebant, id quod in Apocalypsi expressum legimus, ubi Angelum videre est, aureo thuribulo instructum, hoc genus sacrorum aromatum Divinæ Maiestati adolere. Incensabantur tunc, quemadmodum hodiedum fieri solet, altare, oblata, Clerici, ac denique populus. Cæterum incensa tum temporis adhiberi solita, non qualiacunque erant, sed ex pretiosissimis, quæ per ea tempora haberi poterant, aromatis confecta, & quidem tanto sumptu atque magnificentia, ut Romana Ecclesia & in Syria & in aliis Orientalibus provinciis certos fundos possideret, qui nonnisi ad suppeditandos aromatum annuos proventus destinati erant. Offertorii durante tempore psalmus aliquis decantabatur, ex quo præter versiculum unum, qui psalmi illius antiphona esset, nihil aliud ad nos pervenit. Apoc. 8. v 3. &c.

****

CAPUT VII.

Consecratio & Communio.

Offertorio finito Ecclesiæ fores claudebantur, tantaque cura a Diaconis aut ab Ostiariis intra Ecclesiam excubantibus

Constit tibus clausæ tenebantur, ut ne Fidelibus *Apost. l.* quidem, siqui serius adventarent, nisi post *8. c. 11.* sacram Communionem aperirentur. Alii ex Diaconis templum ipsum leni ac suspenso gradu obeuntes cavebant, ne quis minimo etiam seu strepitu seu gestu publicam pietatem interpellaret. Erat etiam inter ipsos, qui deditam operam puerorū gregi proxime Episcopale solium consistenti, advigilaret; porro matres admonebantur, ut infantes suos in brachia sublatos apud sese tenerent. Hunc in modum tranquillà & altum conticescens Fidelium multitudo non sine sacro quodam plenoque reverentiæ & religionis horrore audiebat Præfationem, & hujc subnexam *Actionem*, quam nos *Canonem* appellamus; Episcopus enim preces istas elata voce recitabat, populo ad eas, quemadmodum ad cæteras *Const.* omnes respondente: *Amen.* Admodum pro- *Apost.* lixæ illæ orationes erant; & hodiedum *8. c. 12.* sunt in pluribus Orientalibus Ecclesiis, ex quibus Ecclesia Romana illas retinuit, quæ Sacrificio maxime propriæ atque essentiales sunt. In aliquibus adjungebatur brevis narratio præcipuorum capitum, ad historiam Religionis universam pertinentium, ut nimirum grates Deo agerentur de universi creatione, de mundi post diluvium instauratione, de vocatione Abrahæ, de beneficiis in populum Israeliticum collatis, de Incarnatione demum Verbi Divini,

vini, & humani generis per ipsum reparatione,

Secundum Consecrationem Episcopus pro se primum divinam Synaxin sumebat, tum eam Presbyteris, Diaconis & reliquo Clero ex ordine impertiebatur; hos proxime consequebantur Ascetæ aut Monasticæ vitæ cultores; subinde Diaconissæ, Virgines aliæque religiosæ fœminæ, pueri ac demum universus populus Sacris communicabant. Ad temporis faciendum compendium in functione cæteroquin satis diuturna *Presbyteri* complures simul & semel divinam Eucharistiam distribuebant, & Diaconi itidem complures sacrum Calicem præbebant libandum. Utrique ad evitandam in tanta multitudine confusionem sacram Communionem Laicis eodem ordine dabant, quo prius ab ipsis Oblationes collegerant, ut adeo neminem loco se commovere necesse esset. Viri sacram hostiam suismet manibus, fœminæ linteolis ad id destinatis illam excipiebant; quod ex sacris speciebus superabat, parvulis distribuebatur; qui qui vero non communicabant, iis reliquiæ panis benedicti qui tamen consecratus non esset, dabantur, indeque panis benedictus originem sumpsit. Durante sacra Communione Psalmus cantabatur, ex quo sola ad posteros Antiphona pervenit. Jam a quarto Christi sæculo infrequentior esse cœpit Eucharistiæ usus;

Ibid. c. 13.

Ordo. Rom.

& Sanctus Chrisostomus de multis conqueritur, qui sacris ita assistebant, ut sacrorum per Communionem participes non fierent. Cæterum nono sæculo satis habuere Ecclesiæ Antistites, ut quatuor saltem per annum vicibus, nimirum festo Nativitatis Christi, Die Jovis sancto, & in solennitate Paschatis atque Pentecostes divinæ mensæ Christiani accumberent. Ex quibus omnibus pronum est conficere, bene longum fuisse Liturgiæ ordinem. Enim vero Christiani illorum temporum existimabant, aliud se Dominicis diebus non habere negotium, quam ut Deo rite famularentur. Divus Gregorius probaturus, quam afflicta valetudine uteretur,
L. 8 Ep. 35. in una Epistolarum suarum asserit ægræ se tres horas continuas pedibus posse insistere, quo Divino Officio intersit. Nihilominus Canon Missæ idem prorsus tum temporis fuit, qui modo est, & sermones de eo non adeo prolixi inveniuntur.

CAPUT VIII.

Cantus Ecclesiasticus & Magnificentia Divini officii.

TOtum officium Divinum cum cantu nunquam non peragebatur; de hoc

sub

sub prima jam Ecclesiæ tempora mentio fit; sed tamen credere fas est progressu temporis, cum solutiora omnia habere inciperet Ecclesia in libertatem asserta, sacræ Psalmodiæ consvetudinem multo mágis invaluisse, hanc in Occidentem á S. Ambrosio, Ecclesiarum Orientalium imitatione, introductam fuisse S. Augustinus commemorat; & in libro Pontificali legimus, sub idem tempus morem hunc a S. Damaso Papa præscriptum fuisse. Jam vero cum antiquæ musicæ peritia & ars per ea tempora floreret, in qua pro diversitate argumentorum diversa item cantus genera adhibebantur, nunc leniora nunc magis concitata; nūnc læta, nunc tristia, alias ad gravitatem, alias ad dissolutionem animique leviores atque immoderatos affectus excitandos apposita; merito existimandum est, illud symphoniæ genùs a Patribūs ad Ecclesiasticum usum traductum fuisse, quod Maiestati & Sanctitati nostræ Religionis quam maxime congruebat, diligenterque ipsos providisse, ne qua ad Dei laudes & divina mysteriá celebranda modulatio adhiberetur, quæ effœminato mollique sono plus justo demulcere animos, & pectora pravis affectionibus pertentare posset. Non negaverim tamen, Sanctūm Augustinum nescio qùid nimis tenerum & svave in cantu Occidentalisi Ecclesiarum notasse, eamque ob rem tu-

Aug. I. 9 Conf. c. 7.

Platon. 3. de Republ.

L. 10. Confes c. 33.

tiorem, magisque ad pietatem idoneum duxisse morem, a S. Athánasio invectum, qui psalmos a lectore proferri curabát, tam modica vocis inflexione, ut recitare magis illos, quam cantare videretur. Dijudicent Musices periti, num aliquod vestigium antiqui illius concentus in Chorali, ut dicimus, seu pleno cantu, qui nostro ævo in usu est, deprehendant, nam, quæ vulgo figuralis musica a nobis appellatur, nimis quam certúm est; eam & a vetere plurimum distare, & novitium plane inventum esse. Denique quod attinet, ád modum cantandi orationes & lectiones, facile quivis perspiciet, paucissimis illum tonis contineri, eo máxime fine adhiberi solitis, ut pronunciantis vox firmior sustineatur, & periodorum insuper notetur diversitas.

Satis, opinor, quæ hucusque in medium allata sunt, perspicuum reddunt, Sanctissimos illos primorum sæculorum Episcopos admirabili judicio & sapientia in mores Ecclesiæ invexisse, quidquid intelligerent ad excitandos Fidelium sensus aptum esse, ut hac veluti via in animos hominum quantumvis incultos & rudes præclara de religione sensa intrroducerent. Age enim ob oculos tibi pone Fideles Romæ olim in Ecclesia Lateranensi congregatos ad celebrandum pervigilium Paschatis, quo tempore Sanctus Leo Papa

Eccle-

Ecclesiæ præfuit ; quid, amabo te, in illa sacratissima nocte non usque quaque splendidum, quid ad concilandam devotionem non accomodum videas? Post novi ignis benedictionem continuo cæreorum & lampadum numerus innumerabilis ita resplendebat, ut nox illa cum die quamlibet sereno certaret; discussis momento tenebris, tanquam summoto sipario, locus ille augustissimus magnifici adinstar theatri sese offerebat: omnia marmore & picturis collucebant; aderat Fidelium infinita propemodum vis, miro silentio pulcherrimoque ordine in certas classes pro ætatis, sexus & sacrorum ordinum varietate discreta. Inter cæteros jucundum oculis piumque spectaculum præbebat Candidatorum baptismi novellus grex, ea ipsa nocte sacro latice tingendus; visebantuur præterea, qui Ecclesiasticis pœnis rite perfuncti, biduo ante cum Deo & Ecclesia in gratiam redierant. Quid dicam de sacræ supellectilis magnifico apparatu? de argenti fulgore ex omni parte renitentis, de luce auri ac gemmarum, quibus sacra vasa, maxime quæ ad altaris ministerium proplus spectabant, distingvebantur, ut ista omnia oculos præsentium non tam ad sese convertebant, quam intuentium perstringebant aciem? Adde noctis silentium, non alio sonitu, quam prophetiarum accurata prælectione, & versiculorum interposito cantu

inter-

interpolatum, quæ ipsæ canendi ac legendi vices novam audientibus voluptatem afferebant! quid inter hæc animus faceret, tam præclaris ac venustis rerum imaginibus blande perstrictus! quam solidum præsentemque fructum percepisse ipsum putamus, tot mediis ad novam attentionem arrectum, qui jam antea sacrarum litterarum assidua commentatione ad excipiendam verbi Dei sementem optime comparatus erat! quantam credimus fuisse Diaconorum ac reliquorum altari ministrantium modestiam, quam decentem hominis exterioris confirmationem, utpote qui omnes a tali tantoque Episcopo selecti, sacrisque Ordinibus initiati, in ipsius atque adeo Dei Optimi Maximi præsentia, functiones suas obibant, quem pro sua singulari pietate propemodum oculis áspectabilem habebant! quis vero cogitatione assequatur, quanta ipsius Summi Pontificis majestas fuerit, cui excellens doctrina, mira facundia, zelus divinæ gloriæ, animi magnitudo, omnium denique virtutum decora tantam ubique nominis celebritatem, tantam venerationem conciliabant! quam pleno pietatis ac reverentiæ sensu existimamus Sanctissimum Præsulem orationes supra sacrum fontem pronuntiasse, quas ipse composuerat, & successores ipsius tanti fecere; ut earum exempla per duodecim sæculorum spatia usque conservata

ad

ad nos pervenerint! Sane mirari nunc tandem desino; qui fieri potuerit, ut inter eas functiones Christiani corporum suorum necessitates plane oblivliscerentur, & post solidæ diei jejunium noctem, quæ festum Resurrectionis præcedebat in Vigiliis & precibus exigerent, cura & cogitatione sumendi cibi in crastinum penitus rejecta.

****

CAPUT IX.

Solennitas Festorum & sacræ Peregrinationes.

UBi primum magno jejunío ad finem perducto Paschátis solennissima dies illuxit, non modo non prohibitum, sed præscriptum insuper a sánctissimis quibusque Viris erat, ut corpora Fideles curarent sua. Quantumvis enim opportuna sint jejunia ad mentem in cœlestia defigendam, & orationis, cui festi per annum dies præcipue destinati erant, exercitia reddenda expeditiora; cautum tamen erat, ne quis dominicis festisque diebus; neu per totam quinquagesimám jejuniis vacaret Quinquagesimæ nomine, secus ac nos solemus, non intelligebantur quinquaginta dies, qui Pascha proxime præcedunt, sed

tóti-

toridem alii, qui a Paschate ad Pentecosten usque fluunt. Monachi quidem in Ægypto magna cautelá utebantur, ne forte modico illo consuetæ severitatis laxamento privarentur fructu meritorum, longa in cibis abstinentia prius collecto; iidem tamen discrimen aliquod inter utriusque generis festos nimirum & esuriales dies faciebant. Nam S. Pachomius Divi Palæmonis Magistri sui præcepta secutus, in die festo Paschatis herbas oleo conditás apparavit, quæ arido pani, familiari alias Anachoretis cibo, interponerentur. Alius quidam S. Sacerdos divino admonitu festo item Paschatis die prándiolum Sancto Patri Benedicto attulit solito lautius; & S. Antonius, ut aliud quoque lætitiæ signum ederet, in die Paschatis & Pentecostes tunicam gestabat ex palmæ foliis contextam, quam a Divo Paulo Eremitarum Principe hæreditariam acceperat; Sanctus porro Athanasius pallium humeris circumponebat ab Antonio sibi relictum. In more nimirum Christiani tum temporis positum habebant, & constanter observabant, ut festis quibusque diebus & vestitus uterentur magis splendidis, & in victu naturæ plusculum indulgerent.

Cassian. collat. 21. de Remiss. quinq.

Vit. S. Pachom. c. 8.

S. Greg. Dialog. 2. c. 1.

S. Leo serm. 3 de quadrag.

Suus etiam honos proportione servata Martyribus habitus fuit, redeunte quotannis ipsorum memoria: his enim diebus convivia celebrabantur, quæ, quia in profa-

nam hilaritatem ad extremum degenerabant, sæculo quarto aboleri necesse fuit. Magnus erat populi ad ejusmodi festa rite agenda concursus. Nam cum alias privati quique pastori suo conjuncti dominicos ac festos dies omnibus Ecclesiis communes celebrarent; In Martyrum anniversaria memoria ad pulvinaria Ipsorum frequentes, omnique ex parte Religionis causa confluebant, qua opportunitate persæpe factum est, plures ut Episcopi uno in loco simul convenirent. S. Paulinus ut ex hoc unico exemplo de cæteris judices, plures quam viginti partim civitates, partim provincias Italiæ recenset, ex quibus habitatores viri una cum uxoribus ac liberis suis catervátim singulis annis adventabant, ad festum S. Felicis quarto decimo Januarii celebrandum, nulla frigidissimæ tempestatis habita ratione; atque hoc in unius duntaxat honorem Confessoris in sola civitate Nolana factum fuit. Quid nunc de reliquis Christiani orbis partibus dicemus? quid Romæ in festis Ss. Hippolyti, Laurentii, & Apostolorum? quid Turone in festo S. Martini accidisse existimamus? ad quæ loca etiam ex longe dissitis regionibus, nulloque non per annum tempore Fidelium pietas adibat; ex quo piarum peregrinationum consvetudo nata est.

Et erat sáne hoc unum ex præcipuis admi-

miniculis adjuvandæ sensuum externorum opera internæ devotionis Etenim sacrorum cinerum insignis cujusdam Sancti, sepulchri, ipsius cárceris, catenarum ac cæterorum Martyrii instrumentorum conspectus multo vehementius animum commovebat, qûam si hujusmodi res ab absentibus sola auditione acciperentur. His accedebant prodigia magno numero ád sepulchra Sanctorum patrata, ad quæ proinde visitanda ipsi adeo infideles vitæ & sánitatis naturali amoré ducebantur; Constat, inter primos libertatis Christianismo donatæ fructus illum extitisse, ut Sancta Helena curam in se ipsa susciperet, loca Hierosolymis, atque in universa Palæstiná sanctitate celebría meritis honoribus illústrandi. Ex quo tempore frequentissimæ ad illas partes fuere peregrinationes, nec eæ admodum difficiles, cum propter Imperii Romani summam amplitudinem, situmque percommodum, alluente illud omnì ex parte mari Mediterraneo, tum propter vias spatiosissimas, quæ ad militum itinera, & vecturarum atque commerciorum opportunitatem quaqua versus patebánt. Neque adeo operosum tunc erat, ex Hispania, Galliave in Ægyptum, in Palæstinam aut in Asiam proficisci.

Honorandi erant Martyres in eo ipso loco, in quo cruciatus & necem pro Christo perpessi fuerant; nondum enim per ca

tem-

tempora mos ille invaluerat, dividendi Sanctorum Corporum, & alio transferendi Reliquias. Narrat S. Gregorius Papa, ad suam usque ætatem non alias Apostolorum Reliquias in extera loca missas fuisse quam linteola sepulchris ipsorum prius applicata; imo nostro etiam ævo Sancti Petri & primorum Successorum Corpora altissime adhuc recondita jacent. Mira erat cujusque populi in conservandis Sanctorum suorum cineribus religio & vigilantia; utpote in quibus certum singuli pignus tenebant tutelæ illius Sancti, & singularium de cælo donorum, quæ in gratiam tam Sancti Depositi quælibet civitas ac provincia sibi promittebat.

Greg. 3. Epist. 30.

Prudent Peri-steph. passim.

Sub idem tempus, quo Ecclesia tranquillitate fruebatur publica, videtur primum accurate ordinatus fuisse anni Ecclesiastici cursus Celebris illa quæstio, quonam die celebrandum Paschæ festum esset, non ante terminata fuit, quam generalis Nicææ Synodus haberetur; neque ullum ante hoc tempus Oecumenicum coactum fuit Concilium, aut cogi sub Imperatoribus ethnicis tanta Episcoporum frequentia potuit, quantam in Nicæna Synodo videre erat. Religiose tunc servabantur stata per annum tempora impertiendi Catechumenis baptismi in Paschate solum & Pentecoste; id quod ex Epistola Sancti Leonis Papæ perspicere licet, condemnantis Episcos-

Epist. 4

scoporum Siciliæ consvetudinem, qui die Epiphaniæ festo baptizare non dubitabant; in eadem Epistola S. Pontifex docet, quo spiritu acta Ecclesia Dei varia per annum festa, diversasque anni Ecclesiastici partes instituerit, quo sic diversa vitæ Redemptoris nostri mysteria certo ordine ac modo honorarentur.

Ad Eandem Ecclesiæ ætátem referri debent publicæ illæ ceremoniæ quibus solennia apud Fideles jejunia celebrabantur. Vacabatur iis diebus ab omnibus negotiis: civitates quantumvis hominibus frequentes solitudinum adinstar pacatæ & silentes erant. pars diei maximá a congregatis in templo Fidelibus precationi verbique Dei auscultationi dabatur; ex quo factum est, ut Officium Ecclesiasticum in feriis, quibus jejunatur, nunquam non aliorum dierum Officio productius esset. Per illas ferias neque Martyrum solennes memoriæ, neque nuptialia festá celebrabantur; tenuitque usque ad sæculum Christi nonum consvetudo, diebus jejunio sacratis cessandi ab infesta armorum tractatione, quam cessationem Veteres *Treugam Dei* vocabant, imo ne arma quidem gestare, aut itineri, nisi præsens necessitas id postularet, se dare licebat.

CA-

******************:****

CAPUT X.

Ecclesiasticæ Pœnitentiæ ritus.

Pietatis illa exercitia, de quibus superiore capite actum fuit, fructus quidam erant pœnitentiæ, cui dies jejuniorum dicati erant; atque hæc causa est, cur pœnitentia, siquam forte aliqui promeriti essent, ad quadragesimam differri soleret. Ad hanc rite præparaturi sese Christiani post læta Natalis Christi & Epiphaniæ festa a Septuagesima ducebant exordium; tunc enim, quemadmodum hodieque fit, preces fundere incipiebant ad veniam peccatorum à Deo Impêtrandam, & ad pœnitentiam peccatores excitabantur, ad hunc unice scopum tam Septuagesimæ quam Sexagesimæ universum Officium dirigitur. Sácra lectio e libro Genesis petita Dei universorum procreatoris potentiam, justitiam & severitatem ob oculos ponit. Videre illic est Adamum paradiso terrestri exturbatum, orbem terrarum propter fœdissimos mores aquis consepultum, quatuor nefarias civitates cœlesti igne consumptas Qui talibus propositis exemplis, atque Episcoporum insuper incensis cohortationibus commovebantur, ad Episcopum ipsum, aut ad Presbyte-

byteros huic ministerio deputatos, conferebant sese, & criminibus suis magno candore animi patefactis, quid ad ea expiandi facto opus esset, ex pastoribus animarum suarum discebant. Istorum enim erat dispicere, num, qui se reos ultro fatebantur, ad pœnitentiam obeundam admitti mererentur, quis item pœnarum modus, quod tempus præscribenda essent; denique an clam aliis, an publice agenda pœnitentia; an e re communi Ecclesiæ foret pœnitentem peccata sua palam confiteri?

Multi pœnitentiam publice peragebant, quorum tamen peccata in vulgus non constabant; plures etiam propter crimina aliqui atrocia & nefanda secreto solum pœnitentiam agebant: ut fœminæ propter adulteria maritis ignota, aliique quorum si evulgarentur patrata facinora, cum periculo capitalis pœnæ conjuncti erant. Cæterum adeo familiaria tum temporis Fidelibus erant jejunia, preces, vigiliæ, cæteræque corporis divexationes, etiam solius pietatis instinctu susceptæ, ut nemini valde metuendum esset, ne alii forte, cum pœnitentiam agi a quopiam viderent, in ejus agendæ caussam curiosius inquirerent. Pœnitentiæ tempus pro diversa Ecclesiarum consvetudine alias longiori, alias breviori spatio definitum erat, magnaque in Canonibus pœnitentialibus, qui ad nos pervenere, hac in re diversitas de-

pre-

prehenditur; plerumque tamen, ut quisque Canon antiquissimus est, ita maxime severus esse dignoscitur. S. Basilius duos annos furto, septem fornicationi, undecim perjurio, quindecim adulterio, homicidio viginti, totam denique vitam apostasiæ expiandæ præscriptos fuisse notavit.

Epist 3. canonica ad Amphiloch. c. 56. 58. 59. 61. 64. 78

Quibus pœnitentia publica indicta erat, ii se Archi Presbytero aut Presbytero Pœnitentiario sistebant, a quo nomine pœnitentium scripto mandabantur. Subinde prima die ineuntis quadragesimæ ad Ecclesiæ portam comparebant pannosi, sordidati vestibusque scissis, qui antiquorum, quamdiu in luctu versarentur, habitus erat. Iidem Ecclesiam ingressi ex manibus Episcopi cinerem, quo caput, & cilicinam vestem, qua corpus tegerent, accipiebant; tum in terram prostrati tamdiu morabantur, quoad ab Episcopo, Clero, populoque universo preces pro iis de genibus persolutæ essent. His finitis Episcopus apposita exhortatione admonebat pœnitentes, ejectorum se ipsos ab Ecclesia esse, quemadmodum Deus ipse e paradiso Adamum propter prævaricationem exegit, caverent nihilominus despondere animum, sed potius ingenti in Dei misericordia collocata fiducia magnoque animo pœnas sibi dictatas accurate subirent. Ad extremum etiam extra templum eliminabantur, clausis con-

Pontif. Rom. v. Tom. 1 p 2. c. 14.

Lib. Sacramt.

tinuo

tinuo templi foribus, hoc in statu, qui versabantur, pœnitentes, domi fere se tenebant precibus & suspiriis vacantes. Diebus festis & stationariis ad Ecclesiam veniebant initio quidem ante fores, deinde intra ipsam Ecclesiam consistentes, ut lectionibus sacris & exhortationibus interessent; quibus absolutis ante preces sacrificio præmissas exeundum erat; progressu temporis ad orationem cum cæteris Fidelibus communiter faciendam in templo remanebant, sed tamen humi abiecti, quamdiu sacra precatio durabat; hoc etiam exacto tempore; in pedes erectis more cæterorum orationi operam dare permissum erat. Alius item modus erat, pœnitentes a reliqua Fidelium multitudine secernendi, sinistro nimirum latere, quod in Ecclesia occuparent, ipsis assignato. Erant igitur pœnitentium quatuor classes: prima *Plorantium*, secunda *Audientium*, tertia *Prostratorum*, extrema *Consistentium*; quadruplici hoc statu totum pœnitentiæ curriculum includebatur. Sic exempli gratia; qui voluntarii homicidii reus erat; quadriennio inter *Plorantes* versabatur: quo nomine ii intelligebantur, qui pro Ecclesiæ foribus non sub atrii porticu, sed sub dio aeris inclementiæ expositi, orationis tempore stabant. Hic ille sacco indutus, cinereque capiti insperso, barbaque & capillis promissis introeuntes

S. Eligius hom. 8

S. Basil ubi sup. c. 56. Epist. S. Greg. Thaum. cap. 1.

in

in templum Fideles supplex rogabat, ut peccatoris misertti, Deum deprecarentur, veniamque peccati, quod ultro manifestabat, sibi obtinerent. Quinquennio subsequente idem pœnitens homicida, ad *Audientium* ordinem gradu facto, Ecclesiam intrabat, instructionis audiendæ causa, intra vestibulum tamen cum Catechumenis remanebat, unde ante publicarum precum initia exeundum erat. Postmodum tertiæ pœnitentium classi additus, una cum Fidelibus cæteris preces quidem persolvebat, sed eodem, quo ante, loco proxime portam occupato, & corpore in terram prono, iterumque cum Catechumenis templo exibat. Septem annis in hoc statu expletis, ad quartum & ultimum ordinem ascendebat, in quo quadriennii spatio durare jubebatur, toto hoc tempore non modo comprecationi, ut anteá, intererat, sed arrecto etiam corpore eodem, quo reliqui Fideles, situ adstabat; cæterum oblationem pro more facere, aut Communionem sacram sumere, adhuc prohibitum erat. Denique viginti annorum exacta pœnitentia sacrorum, id est, Eucharistiæ Communioni pœnitens restituebatur.

Eádem quindecim annorum cum proportione distributio iis observanda erat, a quibus commissum adulterium publica pœnitentia expiari oportebat: quatuor anni inter *Plorántes*; quinque inter *Audien-*

tes, quatuor inter Prostratos, duo denique inter Consistentes exigi debebant; ex his duobus exemplis in promptu est de cæteris arbitrari. Non tamen solius decursu temporis tota pœnitentiæ ratio limitabatur; quin potius Episcopi in profectum pœnitentium sollicite excubabant, ut temporis aliquid cæteroquin præscripti vel imminuere, vel addere possent. Præcipua nempe & solennis, quam hac in re sequebantur, ea erat regula, ut quanta possent maxima vigilantia in proximorum procuranda salute elaborarent; nequaquam vero in contumacibus, quorum desperata erat emendatio, tempus atque operam luderent. Nemo itaque pœnitentium ex uno gradu ad alterum, nisi de Superioris voluntate, procedebat. Is, ubi finiendum pœnitentiæ tempus judicabat, exeunte quadragesima id facere solebat, ut nimirum pœnitens festo Paschatis die divinis mysteriis frui inciperet.

Pontif. Rom. Ergo feria quinta sanctioris hebdomadæ ad fores Ecclesiæ sistebant se pœnitentes. Episcopus, multa prece ad Deum præmissa, ingrediendi templum copiam ipsis denique faciebat, Archi Diaconi præsertim rogatu, proponentis Antistiti, esse hoc maxime tempus clementiæ in omnes expromendæ opportunum, planeque æquum videri, ut, quo tempore Ecclesia gregem suum recens baptizatorum novello fœtu

mul-

multiplicat, eodem quoque errantes ac prope deperditas oviculas intra septá sua recipiát. Idem Archi Presbyter flagitabát, conformans testimonio suo, ita se gessisse pœnitentes, ut venia & admissione digni sint; Archi-Presbyteri enim munus erat, hujusmodi homines, quamdiu in sacro luctu versabantur, diligenter examinare. His precibus inductus Præsul, verba primum ad pœnitentes faciebat de misericordia divina, morumque emendátione palam omnibus imposterum demonstranda, jubens præterea illos ad fidem suæ promissionis faciendam manus in sûblime erigere. Ad extremum idem Episcopus spe bona de ipsorum integra conversione plenus. solennem iis absolutionem impertiebatur; qua accepta continuo barbam & caput attondere, saccum & cineres ponere, vitamque more cæterorum Fidelium rursum inire pænitentes incipiebant. Sine dubio multa in eiusmodi exterioribus ceremoniis pro locorum ac temporum modo diversitas fuerit; universæ tamen ad eundem finem collimabant, erantque sane illustre argumentum, quo ipsi adeo innocentes bonique Christiani edocerentur, quanta peccati enormitas, quantaque ab eodem sese expediendi difficultas esset.

S. Elig. hom 8. *& 11.*

CAPUT XI.

Principes Christiani.

His pœnitentiæ legibus nemo unus eximebatur, quantumvis illustri summoque in loco positus supra Vulgus emineret. Principes Viri perinde ac privati homines iisdem obnoxii erant; qua de re Theodosii Imperatoris insigne est ad omnem posteritatis memoriam exemplum. Primis quidem tribus Ecclesiæ sæculis nemo fere credebat fieri posse, ut Magnantes summique in sæculo Viri severæ Christianismi Disciplinæ ac jugo colla aliquando subderent: difficileque erat, animo assequi, qua tandem ratione Christiana humilitas suique abnegatio cum summo imperio, inimicisque opibus stare aut conciliari posset.

Apolog. c. 21. Cont. Cels. C. 8. Atque hæc causa erat, cur Tertulianus olim affirmarit, longe citius Christo nomen daturos fuisse Cæsares, si Cæsares simul & Christiani esse nossent: eundem prope in modum Origenes loquitur. Sed enim hoc quoque prodigium universo inspectante orbe terrarum patrare Deus voluit; eaque tám admirabili rerum conversione præcipuum secundi Ecclesiæ status a primo discrimen continetur, utpote quæ basis ac fundamentum erat qublicæ libertatis in Ecclesia tunc stabilitæ, de qua hoc loco agimus.

Initio

Initio statim conversionis Magni Constantini videre erat Jesu Christi nomen & crucis ipsius sacrosanctum signum in Labaro & signis Romanorum militaribus luculenter expressa; quodque ad eam diem supplicii maxime omnium infamis instrumentum fuerat, derepente exornandis Regum diadematis adhibitum fuit. Quis porro ejusdem Imperatoris adversus Patres Concilii Nicæni magnificam pietatem, quis honores illis habitos ignorat? Jlle commeatum; ut ex longissime dissitis immensi Imperii partibus ad Synodum venirent, suis impensis comparavit; Jlle toto Concilii durantis tempore sumptus ad eorum sustentationem necessarios suppeditavit; Jlle ad suas sedes reversuros regiis plane muneribus cumulatos ab se dimisit. Libellos supplices, quibus Episcoporum aliquot accusabantur, idem flammis cremari jussit, & Confessorum cicatrices, veluti præteritarum persecutionum gloriosa in Christi militibus vestigia exosculatus est. Jam in ipso Concilio frequentando quanta non edidit pientissimus Imperator Religionis & reverentiæ specimina? Nullo millite prætoriano stipatus in Senatum Patrum se insinuavit, nec nisi annuentibus Patribus sedem occupavit suam. Denique soluto cœtu eosdem in palatio suo magnifico convivio excepit, cui ipse quoque accumbere non dubitavit. Sane tunc temporis,

Euseb. vita Constant. c. 6. 7. &c. Socrates Hist. 1. c. 1. 5. & 8.

si quando alias ipsis, quodammodo oculis spectáre licuit Christum Regem reges in ipsos imperium suum exercentem

Plus etiam honoris & ornamenti Religioni nostræ Theodosius attulit insignibus virtutum suarum exemplis. Sæpe is & familiariter cum Deo per orationem agere, hujus Numen in gravissimis negotiis implorare, secundos armorum cursus illi uni in acceptis referre. Præcipiti aliquando ira in populum Thessalonicensem accensus, atrocius æquo supplicium de iisdem sumpsit; palmare fuit Imperatoris hæc in re peccatum, palmaris etiam de peccato acta publice pænitentia.

Ex Theodoreto Hist Eccles. c. 16. 17 & 18.

Utrumque factum, ut Teodoreti, qui illud literis consignavit, verbis utar, dignum sane est, quod eorum, qui hæc legent, utilitatis gratia narretur. Thessalonicæ coorta seditione quidam civitatis primarii viri partim lapidibus obruti, partim contumeliose a populo accepti fuerunt. Quá re intellecta, Imperator usque adeo præsenti iracundia exarsit, ut in universos temere & crudeliter animadverti juberet promiscua Innocentum ac Reorum cæde. Hoc allato nuncio, Ambrosius ingressum Mediolanum Imperatorem volentemque more solito in divinum intrare templum, ante Vestibulum occurrens gravi & Apostolica oratione procedere ulterius vetuit. .. Imperator ea re permotus, utpote qui in

sacra

sacra educatus doctrina sciret, quæ Sacerdotum, quæque Imperatorum essent officia, cum gemitu & lacrymis in Regiam revertitur. Ibi mensibus octo in luctu & pœnitentia consumptis; in Natalitio Servatoris nostri festo iterum se Ambrosio sistit, utque vinculis se exsolvat, obtestatur, paratus pœnas omnes, quas medicinæ loco Sanctissimus *Præsul* imperaturus erat, opere ipso exequi. Tum Divus Ambrosius Legem ab Imperatore ferri jubet frangendis iracundiæ motibus apprime accommodam, átque a Theodosio manus suæ subscriptione illico firmatám. Ea lege irrita primum declarantur suffragia judiciave, quæ in iracundia lata essent, tum á pronuntiata sententia sive capitis, sive publicationis bonorum triginta dierum intervallum statuitur, quibus elapsis animoque ipsa temporis mora ad æquitatem revocato, sententiæ illæ novo examini subjicerentur. His a Theodosio prompte gestis, Ambrosius ipsum vinculis injecti prius anathematis exemit, templumque intrare demum ausus Imperator humi prostratus Davidicum illud ingeminabat: *agglutinata est pavimento anima mea vivifica me secundum verbum tuum*; manibus insuper capillos vellens, & frontem percutiens, ac guttis lacrymarum rigans pavimentum, dari veniám sibi petebat. Hactenus Theodoretus, qui post alia, quæ ibidem refert,

cum

cum Apostolicæ libertatis ab Ambrosio, tum Christianæ modestiæ ac submissionis a Theodosio edita exempla, in hœc verba narrationem concludit: *tali tantaque virtute & Pontifex & Imperator erant illustres. Nam utrumque ego admiror. illius quidem libertatem. hujus vero obedientiam: itemque fervoris flammas illius, & hujus fidei puritatem.* Tántumque abfuit, ut Imperator istam Ambrosii magnanimitatem subiniquo ferret animo. ut ipsum solum pluris quam cæteros omnes Episcopos faceret, dicereque auditus fuerit: *solum novi Ambrosium dignum Episcopi nomine* Nihilo minus Augusta Theodosii conjux á pietate mirificaque in pauperes beneficentia commendatur. Tam Religiosi mores & spiritus Christianis Principibus dignûs in universa quidem Theodosii familia perseverávit, nullibi tamen illustrius, quam in sancta Pulcheria Ipsius nepte promicuit. Ista annum ætatis agens quintum supra decimum una cum duabus sororibus suis voto Virginitatis rite emisso coram se Deo dicavit, &, quod magis mirere, in ipsa palatii luce ac frequentia Imperatoriœ aulæ persistens, adeo sese solitudini, pietati, sanctorumque operum assiduæ exercitationi dedit, ut Scriptores illorum temporum palatium illud monasterio, loco nimirum, quo sanctiorem nullum sciebant, conferre non dubitaverint.

In

In hac Schola Virtutum Pulcheria fratrem suum Theodosium institui curavit, qui eadem pietatis a sorore impressa vestigia sectatus, summo mane lectulo sese proripiebat, divinas laudes in consortio sororum sacro cantu celebraturus; assiduus erat in orando Deo, in visitandis Ecclesiis frequens: in iisdem locupletandis mirum in modum munificus. Sæpe is inedia corpus suum, quarta præsertim & sexta feriis, afflictabat: bibliothecam habebat sacris libris instructissimam, divinæ Scripturæ libros memoriter complectebatur omnes: cum Episcopis sic, quasi unus ex eorum numero foret, agebat; veneratione tamen insigni eosdem, atque adeo Christianos omnes virtute conspicuos, prosequebatur. Multorum Sanctorum Reliquias insigni pompa transferri curavit, multorum nosocomiorum & monasteriorum fundator ac párens. Neque solum officiis Christianæ pietatis, verum etiam cæteris omnibus, quæ Imperatorem ornare solent, instituendum fratrem suum Pulcheria curavit. Excellentissimi Magistri liberalibus disciplinis, equestribus etiam ác militaribus exercitiis ipsum imbuebant: ad frigoris & caloris, ad famis ac sitis ferenda incommoda inde a teneris annis ássuefiebat. Præcepta porro urbanitatis & decori, quæ in vestitu, in actione & incessu teneret, eadem Pulcheria Theodosio tradebat; hac Magistra

di-

didicit modum in risu tenere, nunc facilem & amabilem sese, nunc terribilem in loco præbere, denique sui copiam mira animi moderatione omnibus facere. Hac tam accurata cultura Theodosius affectionum suarum iræ præsertim dominus evasit, affabilis erga omnes, humanus & ad commiserationis tenerum sensum proclivis.

Talis tántusque Imperator junior fuit, etsi in purpura natus, & in Oriente vivens, sæculo fœdum in modum corrupto. Marcianus Imperator, qui de ipso Theodosio præclare meritus, multoque rerum usu edoctus eidem successit, similia edidit pietatis ac zeli in Religionem documenta, & quidem majori efficacia & habilitate neque alio opus est ad ipsius comprobandam virtutem argumento, quam quod Pulcherriam sibi sponsam delegerit, ea tamen conditione, ut virginitatem in conjugio ambo colerent.

*********************:***

CAPUT XII.

Mores Clericorum.

DUm Principum sæcularium vita adeo insigni sanctitate florebat; pronum est judicare, longe integerrimos sanctissimos-

mosque fuisse Episcoporum & Cleri totius mores. Sed operæ tamen pretium erit, observare hoc loco mutationem nonnullis in rebus, quæ ad vitæ normam pertinent, in hoc secundo tranquilloque statu inductam. Itaque per id tempus cœpere Clerici exteriora quædam suæ professionis signa gestare; etsi re ipsa habitus ista diversitas, quo a Laicis secernebantur, non prius admodum apparuit, quam Barbari in Occidente rerum potiti sunt; tunc enim Sagis & breviore vestitu non minus quam lingva Barbarorum a Laicis assumpta, soli Clerici vestitum Romanum, togam nimirum thalarem perinde ac lingvam & leges Romanorum retinuere. *Thomass. Tom. I. lib. 2. c. 45. n. VII.*

Complures ipsorum vitam in communi ducebant, Ecclesiæ Hierosolymitanæ imitatione, vitæ hujusmodi rationem tanquam perfectiorem complexi. Hi eodem tecto & triclinio, quoad ejus fieri poterat, communiter utebantur; proprium quidem certe possidebant nihil, non aliis quam ab Ecclesiæ liberalitate subministratis reditibus victitantes; ut adeo Clericorum talis cœtus unica quædam familia esset, cui Episcopus capitis & patris loco præesset. Hujus instituti erant Clerici Sancti Eusebii Vercellensis, S. Martini, & S. Augustini, qui *Clerici Canonici* nominabantur, ad distinctionem ab aliis Clericis, qui etsi non tanta religione ad canonum normam vitam *Thomass. Tom. I. lib. 3. c. 9.*

in-

instituerent, nihilominus non desinebant ab Ecclesia utiliter adhiberi.

Qui in ejusmodi numerosa communitate non vivebant, non omnino tamen solitarii degebant, sed uno saltem aut duobus sociis stipati. Presbyteri, quos animarum cura ruri tenebat, juniores Clericos apud se tenebant, ut morum ac scientiarum præceptis ipsos informarent, simulque idoneos vitæ suæ testes haberent Quid? Episcopus ipse nunquam sine Sacerdote quopiam aut Diacono erat, qui noctu etiam in Antistitis conclavi somnum capiebat; quem proinde Græci *Syncellum* Latini *Cellulanium*, id est, in eadem cella cum Episcopo vel Patriarcha habitantem nominarunt, alio nomine *oculus Patriarchæ* appellabatur. Progressu temporis Syncelli nomen ac munus in dignitatem Ecclesiasticam abiit uni Patriarchæ aut Episcopo secundam. De aula S. Gregorii Magni Pontificis constat, eam non nisi Clericis & Monachis compositam fuisse, durátque in hunc diem servata consvetudo, ut domestici officiales Pontificum Clerici omnes sint.

Cæterum sive in communi sive privatim Clerici viverent, nunquam tamen fas ipsis erat, iisdem in ædibus fœminas apud se habere. Sane inter capita accusationum adversus Paulum Samosatenum illud etiam erat, quod secum haberet, comitesque sibi, quo

v Baron. ad Ann. 272.

quo quo iret, adjungeret duas personas sequioris sexus, ætate & forma dorentes, quodque Presbyteris ac Diaconis suis permittat, nonnullas ex eo genere fæminarum domi suæ tenere quas græce id est, *subintroductas*, vel ut Ruffinus vertit *extraneas* vocabant. * Abusus iste late vulgari cæpit, ex quo pax *Ecclesiæ* donata est, cum prius ex innocentissima quadam consvetudine ortum habuisset suum. Constat ex Evangeliorum sacro codice, fuisse olim mulieres vitæ sanctimonia illustres, quæ Redemptorem nostrum, quocunque iter faceret, sequebantur, inservientes ipsi, & de facultatibus suis necessaria ad vitam subsidia suppeditantes. Porro S Paulus testatur, cum cæteris Apostolis, tum Apostolorum principi Petro in more positum fuisse, quasdam ut fæminas Christianas peregrinationum suarum haberent comites. Tanta vero Apostolorum & primorum discipulorum, quos Apostoli institue-

Concil. Antiochen.

Matth. 27. v 55. *Marci* 15. v. 41.

* Alias specioso magis, quam vero nomine *Agapetæ* dicebantur. quasi spirituali solum charitate dilectæ; ajebant enim, qui ejusmodi fœminas in suis ædibus alebant, id facere se, ut suus virginibus patronas esset, cũ maritos aut tutores non habeant, sæpe etiam parentibus & fratribus destitutæ.

Sanct. Chrysostom.

fuerant, sanctitas, tam insignis omnibusque explorata vitæ ipsorum innocentia erat, nullus ut sinistræ suspicioni locus relinqueretur; tanta etiam circumspectione hac in re iidem utebantur, ut ne Ethnicorum quidem ulli fœminarum illa societas scandalo esset: quod eo etiam facilius factu erat, si mulieres illæ, uti Sancto Clementi Alexandrino visum fuit, Apostolorum & ipsorum discipulorum uxores fuerint, quas isti deinceps sororum loco habebant.

Clem. Alexand. 3 strom. prope med.

At ubi Christianæ disciplinæ rigor mitescere sensim & laxari cœpit, nihil proclivius erat, quam ut charitatis obtentu licentia & voluptas sese insinuarent; cumque Clericorum prisca vitæ severitas aliquantulum remisisset, horum vita sinistris hominum judiciis magis obnoxia esse cœpit. Sane Concilii Antiocheni Patres, ubi de duabus fœminis agunt, quas Paulus Samosatensis apud se tenebat, diserte addunt, ipsum delicate vivere, & gulæ intemperantius indulgere. Quare faciendū omnino Patres existimarunt, ut mali occasio omnis præcidatur, lege in omnes Clericos constituta, ut, qui conjugio ante illigati non essent, *Extraneas* domi suæ ne retinerent. *Extranearum* vero nomine mulieres omnes intelligebantur, quæ Clericis non essent sangvine conjunctissimæ; has Nicænum Concilium declaravit esse

Ma-

Matres, Sorores & Amitas,* Quam plurima in hanc rem a Conciliis & Sanctis Patribus edita decreta scriptique tractatus extant, quo Abusus iste, & ut S Hieronymus loquitur *pestis Agapetarum* nimium quantum inveterata stirpitus evelleretur. Imo si vel abesset suspicio omnis pravæ conversationis, non videbatur tamen consultum esse, ut Ecclesiasticis viris cum altero sexu multum consvetudinis & familiaritatis esset, ne pietatis quidem ac devotionis prætensa specie; nec probabatur, ut munuscula & bellaria iidem reciperent severæ masculæque virtuti inimica, atque ad mollitiem animis invehendam nimis quam efficacia. *Crebra munuscula,* inquit Hieronymus, *& sudariola, & fasciolas, & vestes ori applicatas, ac degustatos cibos. blandasque & dulces literulas sanctus amor non habet.*

Concil. Nicæn. Can. 3. & Eliberit. Can 27. *S. Hieronym. Ep. 22 ad Eustoch.* *Epist ad Nepot.*

In

* Niceni Canon tertius ita habet: *Nec alicui omnino, qui in Clero est liceret subintroductū habere mulierem nisi forte aut Matrem, aut Sororem, aut Amitam. vel eas tantum personas, quæ suspicionem effugiunt*

Eliberitani Canon 27. est: *Episcopus vel quilibet Clericus alius aut Sororem, aut Filiam Virginem dicatam Deo tantum secum habeat, Extraneam vero nequaquam.*

In universum, tamen sua Ecclesiasticis per id tempus, eaque excellens vitæ integritas & sanctimonia constabat; qui, ut homines essent, infirmitate etiam ipsi circumdati, neque affectionibus inordinatis omnino vacui; vitam nihilominus maxima ex parte continentissimam ad cæterorum ædificationem agebant, quos proinde æquissimi quique rerum æstimatores insigni passim reverentia & honore colebant. Quamvis Episcopi tunc certum dignitatis gradum inter sæculares magistratus non obtinerent, propterea quod privatorum hominum adinstar nihil pompæ exterioris affectarent, non desinebant tamen pro sublimissimi status sui excellentia apud Magnates ipsosque Principes in honore esse Supra jam demonstratum est, quantus a Constantino Magno Patribus Nicææ congregatis exhibitus fuerit honos. De Maximo Imperatore memoriæ proditum est, adhibitum ab ipso ad mensam fuisse Sanctum Martinum cum uno ex Presbyteris Sancti Episcopi, Imperatrice interea suismet manibus ad mensam ministrante.

Plura exempla vid. ap. Thomass. Tom 2. lib. 3. c. 50. num. 7 &c. 58.

Cum solerent ea ætate Romani viros in dignitate constitutos diversis titulis honoris causa condecorare, nunc *Illustres*, nunc *Gloriosos*, alias *Spectatos* aut *Clarissimos* compellando, pro gráduum & dignitatis, qua quisque effulgebat, diversa ra-

tione

tione; Episcoporum ordini *Sancti* aut *Beati* prænomen inditum fuit; cui interdum *pii, religiosi, Deo chari*, áliave similis honorifica vox accessit. Tituli hujusmodi adeo Episcoporum erânt proprii, ut in Judiciis etiam, ubi accusari quempiam ipsorum & condemnari contingeret, honorifica illa præfatione nominarentur, id quod in Concilio Ephesino contra Nestorium, & in Chalcedonensi contra Dioscorum coacto videre licuit. Etiam in hæresim lapsis tituli illi non denegabantur. S. Augustinus in Colloquio Carthaginensi non dubitavit dicere: *Sanctissimus Emeritus, & Sanctissimus Petilianus*, etsi ámbo Donatistarum errores tuerentur: nimirum offensione non vacasset, id genus titulis viros illos privare.

Papæ nomen, quod patrem significat, cum testificatione tamen tenerioris cujusdám affectus, diu admodum Episcopis omnibus in Eccelesia latina commune erat, & hodiedum omnibus Ecclesiæ græcæ Presbyteris tribuitur. Iidem Episcopi passim pro Dominis colebantur; neque ulla frequentior sæculis Christi quárto & quinto Literarum inscriptio occúrrit, quam hujusmodi: *Domino Sanctissimo, piissimo, summeque venerando N. Episcopo*. Usitatum etiam erat, ut supra ostendi, prostrato ante eos humi corpore, pedes ipsorum deosculari. Et mirabimur adhuc, si honorum,

Vid. Baron. in notis ad Mar. 10. Jan.

qui ádeo splendidi nobis videntur, ista significatio, Summo Pontifici Episcoporum Episcopo delata fuerit, quem Fidelium multitudo singulari semper, ac præcipuo quodam cultu venerata est, quemque Episcopi ipsi parentis & Papæ, id est, dulcissimi parentis loco habebant, perinde ac Pontifex ipsos tanquam fratres tractabat, & nostro item ævo tractare solet! Habet enim hoc Ecclesia Romana, ut plus quam cæteræ omnes Ecclesiæ veterum consvetudinum apprime retinens & studiosa sit.

Vide Ep. Innoc. I. inter Epist. August.

Multum sane ista sæcularium Potestatum adversus Episcopos Reverentia ad conciliandam ipsis mágnam authoritatem valuit, qua instructi Viduarum, Orphanorum & quorumcunque calamitosorum hominum patrocinia susciperent; præcipue vero usi authoritate illa sunt Episcopi ad vitæ gratiam capitalium criminum reis impetrandam; non quasi zelo justitiæ minus præditi essent; sed quia probe norant, huiusmodi zelum, quantum satis est ad coercendos facinorosos in sæcularibus Dominis minime desiderari; cum illi interea animas omnium, sive Christiani essent, sive á nostris sacris adhuc remoti, Deo lucrifacere studerent. Procul dubio enim efficax & blandum ad pœnitentiam aut baptismi susceptionem incitamentum erat tanta Episcoporum ergá miseros charitas; idemque

V Ep. 54 Aug ad Maceaon.

sta-

ſtudium clementiæ & manſvetudinis Ecclesiam Christi ipsis adeo Paganis mirifice commendabat.

In tanta luce honorum, publicæque ac honestiſſimæ existimationis constitûti Episcopi Clericique omnes paupertatem tamen sibi quam maxime commendatam habebant. In Africa jubebantur Clerici, quantumvis Sacrarum Litterarum cognitione præstantes, aut ruri opus facere, aut opificium aliquod domi exercere, quo victum sibi & vestitum, sine præjudicio tamen functionum suarum, compararent. Quæ lex ad Clericos inferiorum ordinum potius, quam ad Diaconos & Sacerdotes satis alioquin occupatos spectare videtur. Suppetunt nihilominus exempla quorundam Episcoporum, qui Apostoli hac in re consilium longiſſimis etiam retro temporibus opere ipso impleverunt. Sed undecunque demum Clerici vitam sustentarent suam, illud tamen curare debebant ut frugalitatem semper ac modestiam christianam ostenderent. Hinc est illa Canonū Ecclesiæ Africanæ lex ut Episcopi victum mediocrem, & cæteram rem familiarem tenuem haberent. Accurate hoc ab Augustino observatum fuit, Poſſidio teste, qui, cum affirmet, Augustinum præter legumina & herbas interdum carnium & vini aliquid hospitum gratia mensæ inferri curasse,

Concil. IV. Carth. can 51. & 52. v. Thomass. Tom 3. l. 3. c. 8. num. 2. 3. &c.

non obscure, nos docet, quam vilis parabilisque ut plurimum fuerit Sanctissimi Præsulis victus. Sub eadem tempora D. Paulinus, opibus prope immensis ultro abjectis, ád quotidianos usus ligneas scutellas & fictilia vasa adhibebat. Sanctus Martinus asello insidens, & paupere lacerna indutus, Diœcesim suam lustrabat. Admirationi præterea erant propter insignem abstinentiam & producta jejunia S. Lupus Trecensis, S. Germanus Antissiodorensis, & S. Hilarius Arelatensis, Episcopi. De Sancto Epiphanio Ticinensi Scriptores notant, nunquam ipsum balneo uti, nunquam cœnare, nunquam aliis cibis præter olera & leguminá vesci solitum fuisse. Inter Orientis Episcopos S. Basilius præter panem, sale conditum comedebat nihil, frigida sitim levabat, unaque solum tunica vestiebatur. Idem ferme institutum S. Gregorius Nazianzenus tenuit. Divo Chrysostomo Adversarii sui exprobrabant, & accusationis contra virum sanctissimum præcipuum caput in eo reponebant, quod sine socio cibum caperet, vitamque agitáret admodum solitariam; ipseque Chrysostomus testatur reprehensionem apud se incursurum esse Antistitem, siquem *sericis vestiri, multitudinem sequentium & comitantium habere, circa forum arroganter incedere, equo vehi, domosque ædificare cerneret, si jam, ubi commoretur,* *habe*

Paulin. Epist. 1. in fine

Homil. 9. in Epist. ad Philipp.

habeat. Hujusmodi enim fuere, quæ sæculo uno ante Chrysostomi tempora Paulo Samosatensi vitio vertebantur; hominem ipsum aiebant esse, qui laute vivat, qui splendido amictu fulgeat, qui per urbem incedens, turba hominum præ se & a tergo euntium stipatus, appareat, magisque ad fastum ac morem consularem, quam ad Episcopalem modestiam compositus sit. Et tamen *Paulus* iste Antiochiæ Episcopus erat, quæ urbs pro Metropoli Orientis & inter cæteras orbis terræ prærogativa tertia habebatur. Adeo vero jam insueverant hominum oculi tantæ Episcoporum modestiæ, ut quidam malevolorum aut imprudentium inique criminandi ansam inde arriperent, si forte nonnullos observarent hac in re aliis dissimiles, pauloque ornatiores. *Quodsi*, verba sunt ejusdem S. Chrysostomi, *modico ac sobrio fruatur cibo Episcopus ... si lavantem viderit quispiam, plurima in eum intorquentur convitiorum spicula. Indignus protinus judicatur, qui aspiciat solem: quandoquidem illa gerit, quæ ille. Atque ille lavat, inquit alius, ut ego, comedit, bibit, vestimentis operitur, domus curam gerit atque familiæ: cujus ergo rei gratia ille mihi prælatus est? sed & famulos habet, qui illi ministrent & asello vehitur, cur præesse mihi debet? vide quæso, quanta rerum absurditas!* hactenus Chrysostomus.

Homil. 1 in Epist. ad Titum. Similia his vide hom. 9. in Ep. ad Philipp.

Et

Et Ammianus Marcellinus, etsi Gentilis esset, isque antiquis superstitionibus suis mordicus addictus, discrimen támen animadvertit, quo sub finem sæculi quarti *Pon*tifex Románus ab Episcopis reliquarum Provinciarum exteriore corporis habitu differebat. Quasi vero mirum & insolens foret Episcopum Urbis quæ mundi Caput & Domina erat, vehiculo aut Carpento uti, quo expeditius amplissimæ Urbis diversas regiones adiret, vestimentis insuper melioribus indui, mensamque aliquanto lautius instruere, cui Sum quique Romani Imperii Proceres accumbere possent Utcunque tamen ista se habeant, illud in comperto est, eo ipso tempore floruisse in Provinciis Episcopos tanta in victu parsimonia, tanta paupertate in vestitu, tanta vultus modestia conspicuos, ut merito iis virtutibus Deo juxta & hominibus sese commendarent; id quod idem ille Scriptor quantumvis Ethnicus attestatur Imo ex allatis supra exemplis perspicuum sit, etiam celeberrimarum urbium Antistites ea simplicitatis & moderationis laude insignes fuisse; ut alios prætercam, quorum res gestæ a nobis lectæ non sunt, & fortasse ne literis quidem magna ex parte consignatæ.

CA-

:*****************

CAPUT XIII.

Ecclesiæ opes.

ADmirabiliorem hanc Episcoporum modestiam reddit magnitudo divitiarū, quibus *Ecclesiæ* circumfluebant, & quas inter præcipuos libertatis fructus numerare licet. Tantum non fidem superabunt, quæ hac de re dicere ingredior, etsi certis argumentis comprobata sint Vitæ omnes Romanorum Pontificum ab exordio sæculi quarti, & Pontificatu S Sylvestri usque ad finem noni sæculi plenæ sunt largitionibus, quibus Ecclesias Romæ existentes non modo *Pontifices* atque Imperatores, verum etiam privati quidam homines dotarunt; neo vasa solum aureá argenteaque donata fuere, sed integræ etiam domus in *Urbe*, & extra illam prædia & possessiones, partim in finibus Italiæ, partim in aliis Romani *Imperii* provinciis adjectæ sunt. Satis hic loci abundeque fecero, si, quæ unus Constantinus magnifica pietate in Ecclesias profudit, dona ac munera, ex Anastasio Bibliothecario referam, qui ea ex antiquis documentis, sua ætate adhuc extantibus, congesta ab injuria temporis vindicavit.

Affirmat is, Constantinum complures Basilicas partim ædificasse, partim dotasse.

Prin-

Principem inter eas locum sibi vendicat Basilica Lateranensis, a suo Fundatore *Constantiniana* dicta; in hanc hujusmodi dona Imperator contulit. Tabernaculum ex argento ductili bis mille & viginti quinque librarum; in ejus anteriore parte figura extabat Salvatoris sellæ insidentis; alta quinque pedes & viginti supra centum libras gravis. Circumpositæ visebantur duodecim Apostolorum Statuæ, quarum singulæ quinque item pedum altitudinem, & gravitatem librarum nonaginta habebant, cum coronis argenti purissimi. In aversa tabernaculi parte alia Salvatoris imago erat in throno sedentis, alta quinque pedes, & librarum quadraginta supra centum, quám circumstabant Angeli quatuor ejusdem altitudinis, singuli centum & quindecim librarum, ex argento conflati, & pretiosis distincti lapidibus. Additæ præteréa coronæ quatuor cum Delphinis viginti ex auro purissimo, quarum quælibet quindecim pondo gravis erat. Coronarum nomine hic intelliguntur totidem circuli, qui candelabra in orbem disposita sustinebant; Delphini vero ab Anastasio aliisque medii ævi Scriptoribus nominantur ornamenta majorum Lychnuchorum, qui lychnos sive lucernas portabant His accessere altaria septem ex argento, singula ducentarum librarum; Patenæ aureæ septem, singulæ

libra

librarum triginta; Calices aurei quadraginta unilibres, quingenti vero argentei bilibres: Candelabra sive lampades (Anastasius Phara vel Pharocantharos nominat) universim centum & sexaginta, quorum quadraginta quinque libras triginta, reliqua viginti pondo singula habebant; plura ejusmodi vasa libens hic prætereo. In Baptisterio fons ipse sacer, sive Labrum Baptismale ex lapide porphyretico factum, & argento undique coopertum erat, cujus pondus ad ter mille & octo libras ascendebat. Fonti lampas imminebat ex auro purissimo librarum triginta; in qua ducentæ libræ balsami in die Paschatis consumebantur. Pone fontem sacrum Agnus aureus stabat triginta librarum, aquas fundens, ad dexteram Agni Salvatoris imago prostabat ex argento purissimo quinque pedes alta, librarum centum & septuaginta ad sinistram porro B. Joannes Baptista intento in Christum digito titulũ exhibebat: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi.* Statua hæc ex argento centũ pondo erat; Cervi quoque argentei septem fundentes aquam, singuli octoginta librarum, denique thuribulum aureum decem librarum, gemmis pretiosis quadraginta & duabus illustratum. Quid multa? subductis accurate calculis omnium donorum, quæ cum Basilicæ, tum Baptisterio Constantinus obtulit,

lit, universa ad sexcentas septuaginta octo libras auri, argenti vero pondo novendecim millia, sexcenta & septuaginta tria ascendunt. Cum vero libra Romana duodecim solum uncias contineat, pondus illud auri & argenti marcas auri mille & septendecim, marcarum autem argenti undetriginta millia supra quingentas efficit; ut adeo, si marca auri in nostrate monetá æstimetur trecentis Francis, sive libris Gallicis, marca vero argenti libris Gallicis triginta, universum pretium auri & argenti, quod vocant intrinsecum, non computata artis æstimatione, complectatur circiter duodecies centena milliá librarum Francicarum. Præter hæc dona eidem Basilicæ & Baptisterio collata a Constantino fuere ædificia urbana, & prædia (Anastasius *Massas* vocát, quæ & *Mansi* nominantur) ex quibus tredecies mille nongenti & triginta quatuor Solidi aurei pro annuis reditibus percipiebantur, qui, Solido aureo non pluris, quam sex Libris Francicæ monetæ, æstimato, fácile superant summam octoginta millium Librarum Francicarum in annuos proventús attributarum. Atque hæc omnia in unam Lateranensem Ecclesiam unius Beneficentiæ Imperatoris collata fuerunt.

Idem septem alias Romæ exædificavit Ecclesias, S. Petri Principis Apostolorum, S. Pauli, S. Crucis Hierosolymitanæ, S.

Agnetis, S. Laurentii, SS. Petri & Marcellini, alias veró a S. Silvestro Papa extructas amplissimis donis locupletavit. Extra urbem etiam templa molitus est Ostiæ, Albani, Capuæ & Neapoli. Universim autem, quæ sacris hisce ædibus dono dedit, vása aurea argenteaque, ea mille trecentas & quinquaginta novem marcas auri & uncias quatŭor, argenti porro Marcas duodecies mille quadringentas & triginta septem conficiŭnt, quárum intrinsecus valor, rationibus obiter subductis septingenta supra octoginta millia marcarum pretium exæquat. Præterea annui proventus, quibus Ecclesias illas instruxit ad septendecim millia septingentos & septendecim solidos aureos, id est, ad summam centenis millibus librarum Francicarum majorem ascendunt. Aromáta vero diversi generis, quæ ex possessionibus Ecclesiarum in Ægypto & Oriente ad eas pertinentibus quot annis submittenda erant, eorum pretio, quod illa ætate multo, quam nunc, majus erat, ad nostri duntáxat ævi rationes computato, superabant tamen summam viginti millium Francorum: Sic, exempli causa, Basilica S. Petri in Urbe proprias Antiochiæ ædes & in ejusdem vicinia fundos suos habebat, Tharsi item in Cilicia, Alexandriæ totaque in Ægypto, atque adeo in Provincia Euphráthæa certa bona prædiaque possidebat, ex quibus nonnul-

nulla pro annuo canone certam mensuram olei Nardini, Balsami, Storacis, Cinnamomi, Croci, aliaque id genus odorifera & pretiosa aromata suffimento in thuribulis & flammæ in lampadibus nutriendæ suppeditare debent. Adde his Ecclesias ab eodem Constantino & S. Helená matre ipsius Hierosolymis, Bethlehemi, & alibi passim in terra sancta ædificatas; adde Basilicam duodecim Apostolorum, aliasque Constantinopoli erectas, postquam Urbem istam & secundam Romam a fundamentis exstruxerát; adde regia plane dona, quibus Ecclesias per totum Imperium excitatas ditavit; adde ad extremum munera & bona, quæ Constantini in Imperio successores, quæ Provinciarum Præsides, aliique summi Viri ac Dynastæ Christum secuti, quæ sanctæ & nobiles Matronæ, ut Paula, Melania, aliæque complures ex opulentissimis voluntarie pauperes factæ in ornandam Dei Domum, & familiam congesserunt, quæque ipsi quoque Episcopi mirifice auxerunt, quorum sancta erat æmulatio; ut súam quisque Ecclesiam quam splendidissime copiosissimeque instructam haberet. His omnibus veluti sub uno conspectu positis, arbitrari per se ipse quivis potest, quantas necesse sit fuisse opes Ecclesiarum in celebrioribus & primariis urbibus, quæ Metropoles erant tam insignium Romani Imperii Provinciarum, ut eædem nostra

Vid. Euseb. de vita Const. l. 3. c. 34. 35. &c.

tem-

tempestate pro amplissimimis Regnis haberentur. Profecto Alexandrinæ Ecclesiæ propemodum immensas constat fuisse divitias tempore S. Joannis cognomento eleemosynarii, qui reditus illius tam ingentes tanta fide & sanctimonia erogavit. Constat item ex Epistolis S. Gregorii, quantum negotii sanctissimo Pontifici facessiverit administratio patrimoniorum Ecclesiæ Romanæ quaquaversum per Siciliam, Hispaniam, Galliasque patentium; quam sollicite curandum fuerit, ut servi & mancipia possessionibus illis colendis addicti bene tractarentur, utque annui reditus in pauperum cujusvis provinciæ, unde ea bona suppetebant, levamentum & sustentationem adhiberentur. Nec ista cuiquam incredibilia videri possunt, nisi qui Romanæ Historiæ plane rudis sit, nesciatque, tantam temporis fuisse Romanæ Monarchiæ amplitudinem, tantas honorum etiam privatorum opes, ut familiare his esset, amicis suis integros pagos una cum habitatoribus testamento trnasscribere. Præterea maximi per idem illud tempus constituti reditus erant conservandis ornandisque falsorum Numinum delubris, singulis etiam annis pecuniæ vis ingens in sacrificia, ludos, aliosque impiæ Religionis ritus profundebatur; quare in promptu erat, partem aliquam redituum tam male collocatorum, in dotem atque ornamenta

Vita S. Gregorii per Jo. Diac. l. 2. c. 55.

ff. de Instr.

menta

menta Ecclesiarum deriváre, sed tamen inter præcipuos ut loqui solemus, fundos, quibus Ecclesiæ tunc locupletabantur, bona illa numerári debent, quæ persecutionum olim sæviente æstu Christianis per summam injuriam erepta, & Fisco addicta fuerant.

Bonorum Ecclesiæ tam ingentium dominium ac procurátio tota penes Episcopos erat; ita enim diserte Concilium Antiochenum statuit; *Episcopus habeat rerū Ecclesiæ potestatem ut eas in omnes egentes dispenset, cum multa cautione & timore.* Sed enim tantum aberat, ut ea potestate, multum afficerentur Ss illi Antistites, ut per molestam sibi potius accidere significarent, nihilque magis haberent in optatis, quam ut redirent aurea illa & beata tempora, quibus Fidelium charitas tantum in dies singulos stipis & oblationum afferebat, quantum levandis pauperum, Clericorum & Ecclesiarum necessitatibus sufficiebat. Hinc sæpe Augustinus fundos Ecclesiæ suæ omnes civibus Hipponensibus ultro offerebat, ea solum lege ac conditione, ut cum illis curam etiam susciperent sustentandi egenos, & Ecclesiis harumque Ministris prospiciendi, *sed nunquam id Laici sucipere voluerunt,* inquit Possidius. D. Chrysostomus Christianis exprobrabat, ipsorum sordibus & inclementia coactos fuisse Antistites, ad

Can. 25. (margin note beside "Antiochenum statuit")

In vit. S Aug. c. 23 (margin note beside "Ecclesiis harumque Ministris")

pro-

providendum Ecclesiis de certis stabilibusque bonis, ne forte Virgines, Viduæ, & Pauperculorum greges fame contabescerent, si, quod in primitiva Ecclesia in usu erat, solis oblationibus & eleemosynis pro cujusque libitu factis victitandum ipsis esset: *Nunc agros*, verba sunt Chrysostomi, *domus, locationes ædificiorum, vehicula, equos, mulos, multaque alia hujusmodi propter vos & vestram crudelitatem Ecclesia possidet. Opportebat etiam hunc Ecclesiæ thesaurum vos retinere, ac Ecclesiam non parvos ex vestra devotione consequi fructus Modo autem duo quædam mala committuntur. Nam vos, quasi nihil dare debeatis, nihil confertis, & Dei Sacerdotes a Sacerdotio aliena pertractant.* Et post pauca: *non libenter ad hanc se deformitatem* (curandi sæcularia & terrena) *immiserunt Episcopi, qui desiderabant fructus ex vestra devotione sic acquirere, ut orationibus solum possent attendere. Nunc vero coegistis eos illorum, qui sæcularia gerunt negotia, curam & administrationes imitari: unde & universa commiscentur atque turbantur.* Denique ait: *non audisiis, quia nequidem has pecunias quæ absque labore fuerunt collectæ, distribuendas putaverunt Apostolis Modo autem Procuratores. Dispensatores. .... redacti sunt Episcopi ob istarum rerum curam & solicitudinem. Cumque oporteat,*

teat, eos animarum curam vestrarum habe-ræ, hoc prætermisso illa sollicite curant, quæ publicanis, quæstoribus atque villicis curanda sunt. Nihilominus vitam ali-quam & rationem invere SS. Præsules, expèdiendi se tam molesta rerum terrena-rum procuratione. Initio quidem Archi-Diaconis, tum Oeconomis ad hanc unice functionem destinatis provinciam illam imposuere; utque negotia etiam illa, quæ ad pietatem pertinent, levius ferrent, a Principibus Christianis Defensores Advo-catos obtinuerunt, qui stabili sede in quæ-vis urbe commorántes; rem Ecclesiæ pau-perumque patrocinia magna charitate ac fide tuerentur.

****

CAPUT XIV.

Hospitalia.

BOnorum Ecclesiæ pars bene magna fun-dandis & conservandis Hospitalibus Domibus insumpta fuit; nam sub illud tem-pus exstrui hujusmodi ædes cæperunt. Græci quidem & Romani Politi-cen suam usque eo elimaverant, ut otio-sos homines beneque valentes ac robustos Mendicos a finibus suis exigerent; nus-quam tamen legere est, publica quadam sanctione pauperibus illis prospectum fu-isse

isse aut subventum, qui ad publica servitia per corporis & membrorum infirmitatem inhabiles erant. Imo passim existimabatur præstare, ut miserabiles hujusmodi personæ vitam potius cito finirent, quam ut eam longius producendo, sibi juxta & aliis oneri essent; qua re factum est, ut, qui inter pauperes cæteris animosiores erant, sibimet ipsis violentás manus inferrent. Longe aliter ac melius hac de re Christiani sentiebant Hi enim animarũ præprimis salutem sitientes, nullam istarũ, quantumvis miserabili in corpore habitaret negligendám putabant; & ut quisque mendicorum humana ope maxime destitutus erat; ita præceteris singulari cura & charitate dignus habebatur Jam vero juvandi illos nulla expeditior erat via, quam ut communi omnes hospitio & victu exciperentur. Ergo ubi primum Ecclesiæ licuit esse a Tyrannis securæ; diversi generis domicilia misericordiæ fundari cœpta sunt: Ea nos universe *Hospitalia* dicimus; at Græci suis singula vocabulis efferebant:

Domus, in qua parvuli adhuc lactentes nutriebantur, sive Expositi essent, seu qua alia de causa ibidem educarentur, *Brephotrophicum* vocabatur: Domus, in qua pupilli degebant, *Orphanotrophium*. In qua ægroti curabantur, *Nosocomium*: In qua peregrini & in itinere versantes refocil-

labantur, *Xenodochium* appellata fuit, atque hoc postremum ædium genus in Latino sermone proprie *Hospitale* vel domus Hospitalitatis nominatur *Gerontocomium* erat, ubi senibus; *Prochotrophium*, ubi omnis generis egenis receptus dabatur. Hujusmodi ædes charitatis in amplis lautisque urbibus excitari solebant, quas inter Alexandrinum Hospitale in Historiis præcipue celebratur. Domiciliorum istorum procuratio Diaconis commissa erat, quibus tamen ut plurimum Sacerdos aliquis præficiebatur. Sanctissimi quique Episcopi neque laboribus, neque impensis parcebant ullis, quo pia hæc opera tuerentur atque proveherent: Iisdem cordi erat pauperes sepelire, & captivos redimere a barbaris in servitutem abductos; horum enim sub occasum Romani Imperii frequentissimæ erant incursiones & plagia. Gemino huic misericordiæ operi ita vacabant Episcopi, ut ipsa adeo Ecclesiarum sacra vasa vendere non dubitarent, quo litrum captivis, & demortuis loculum compararent, adeo duplici huic pietatis officio, tanquam privilegio speciali insignito, cætera posthabebant omnia. Ea de re illustre in paucis extat S. Exuperii Episcopi Tolosatis exemplum, qui misericordiæ in defunctos & captivos studio adeo sese atque Ecclesiam suam spoliavit, ut Divinissimum Christi Corpus in canistro, San-

S. Hiero nym. ad Rustic.

gvi-

gvinem vero Sacrosanctum in vitreo calice gestaret. De S. Paulino in vulgus notum est, ipsum rebus omnibus divenditis, ad extremum se ipsum servituti addixisse, ut viduæ cuiusdam filium in libertatem assereret. Hunc in modum Ecclesiarum ingentes thesauri & pretiosa metalla, quibus sacræ ædes fulgebant, totidem veluti pia Deposita erant, quæ publica quadam ingruente calamitate, pestilentiá inquam, fame, & his similibus, continuo tanquam oblata bene illa erogandi præclára opportunitate ad communium levamenta malorum impenderentur. Nimirum conservandis vivis templis S. Spíritus templa ipsa & templorum opes præsto erant. Etiam illa mancipiá, quæ intra fines Romani Imperii servitutem serviebant, maxime si christiana essent, & Dominos haberent Gentiles aut Judæos, Ecclesiarum bonis redimi solebant.

S. Greg. in Dialog.

Joan. Diac in vita S. Greg l. 4. c. 43.

****

CAPUT XV.

Monasteria.

Sub hæc demum tempora, cum tranquilla Ecclesiæ & stabilis affulsit libertas, monasteriá exorta fuere. Quamdiu enim Tyrannorum vexationibus infesta erant omnia, nullibi Fideles, præterquam

in desertis locis, tutum perfugium inveniebant, quare ad vastas solitudines, præcipue in finibus Ægypti sitas, multi secesserunt, quorum quidem nonnulli, quod reliquum erat vitæ, ibidem transegerunt, ut S. *Paulus*, qui primus Eremitarum habetur. S. Antonius, qui vitam initio Asceticam haud procul a patrio solo aliquámdiu egit, subinde in eremum abdidit sese, ubi remotus a periculis ac tentationibus, quas ferere hominum consvetudo & frequentia poterat, majori & libertate & securitate ad pietatem se exerceret. Princeps is fuit, qui ejusdem vitæ sectatores in eremo congregatos ad vitæ communis societatem in solitudine colendam traduceret. Isti enimvero non amplius *Ascetæ* simpliciter nominabantur, etsi vitam revera Asceticam viverent, sed partim *Monachi*, quod solitarie agerent, partim *Eremitæ* a locis, quæ habitabant, vocari cœpere. Qui in communi vivebant, *Cænobitæ* nominabantur: *Anachoretæ* autem, qui, postéaquam in communitáte diu vixerant, ibique perdomare & frangere appetitiones suas didicerant, in interiora denique solitudinis concedebant. Quánquam & Cœnobitæ admodum solitarii erant; quippe qui præter alios ejusdem instituti socios mortalium videbant neminem, semoti multorum itinere dierum a locis cultis & habitatis, ævumque transigen-

gentes in terra deserta & invia & inaquosa, ad quam proinde frigida aliis ex locis afferenda erat. Quid; hi ipsi nunquam interdiu, sed vespere duntaxat noctuque, cum ad comprecationem conveniendū erat inter se revisebant, diem, quam longa est, agere soliti intra Cellularum angustias, quas singuli, binive incolebant, labori manuum intenti, silentiique religiosi custodes Denique Cellulæ ipsæ satis magno intervallo sejunctæ erant; siquidem in vastissimis illis solitudinibus nunquam deesse spatium poterat, quamlibet multis interque sese longius dissitis tuguriolis excitandis.

Non erat Sanctis Antonio, Hilarioni, Pachomio, aliisque horum discipulis & imitatoribus propositum, ut novum vitæ genus, illoque, quod Majores ipsorum sectati fuerant, perfectius instituerent. Id solum spectabant, ut *Evangelicæ* perfectionis disciplinam, quam de die in diem magis defluere animadvertebant, in ea puritate, qua ipsam a suis Patribus veluti sacrum Depositum traditam accepere, diligenter ac fideliter conservatum irent. Eam ob causam prototypi loco ante oculos sibi statuebant Ascetas Antecessores suos. Ita Cassiano teste, qui in Ægypto Monasticen excolebant, imitandos sibi sumebant Divi Marci Discipulos, qui intra suburbia Alexandriæ commorantes domi se

Cass. 2. instit 5 18 coll. 5.

se tenebant, precibus, sacrarum literarū commentationi, & manuum labori vacantes, neque nisi nocte appetente cibum capere soliti, Adhæc primitivam Ecclesiam Hierosolymis quondam florentem A_postolorum item & Prophetarum exempla, quæ pro vitæ norma haberent, sibi proponebant. Non aucupabantur popularem admirationem vitæ insolitæ ac præter modum austeræ ostentatione; quin potius id unice ac serio agebant, ut vitám ducerent vere & genuine christianam. Liquet hoc ex omnibus S. Basilii regulis, quæ aliud nihil sunt, quam compendium totius doctrinæ moralis Evangelicæ, conctis Fidelibus a Christo Domino propositæ: Sic v. g: de habitu loquens, contentum, ait, vivere debere Christianum iis vestimentis, quæ ratio decori, & corporis á frigore, cæteraque aeris intemperie defendendi necessitás exigat, atque hoc ipsum, ut quam minima cura & solicitudine fiat, elaborandum; Idem iubet unam tantum vestem a singulis adhiberi, quæ noctes ac dies usui sit, quod sane in regione, ubi Sanctus degebat, factū proclive erat. Verbo, pauca in iis regulis continentur, quæ Monachis peculiaria plane sint.

S. Basil Reg. fus. N. 22.

Quædam nihilominus erant ipsis omnino propria, ut, quod matrimonio & rerū terrenarum domino renunciare, quód consvetudinem hominum etiam Christianorū,

átque

atque adeo consangvineorum vitare tene- *Cass. in-*
bantur. De cætero eránt hujusmodi mo- *stit. 5. c.*
nasticæ vitæ cultores boni ac probi Laici, *12. &*
suo labore & industria victum quæritan- *16. & 6.*
tes, silentii ac secessus perstudiosi, vitiis *cap. 7.*
singillatim extirpandis attenti, ut, postea- *1. Cor.*
quam veluti in agone contendentes legitime *9. v. 25*
certassent, ád eam denique animi purita- *2 Tim.*
tem eniterentur, quæ ipsos Dei & rerum *2. v. 5.*
divinarum aspectu dignos efficeret. His principiis omnes illorum piæ exercitationes regebantur: Jejuniorum assiduitate primo ac præcipuo loco gulæ vitium & intemperantiam oppugnabant, tum ejus præsidio antevertere impuras tentationes, spiritumque suum veluti posita carnis mole sibi redditum, atque ad divina speculanda magis idoneúm perficere laborabant, Modum tamen in jejunando sic tenebant, ut vires labori necessarias conservarent, somno item modico itá fruebantur, ut tamen valetudini ea res fraudi ne esset, sane hac vitæ methodo morbis & adversa valetudine superiores, ad serám senectutem sani ac vegeti perveniebant. Quam plurimos in Vitis Patrum invenias nonagenarios, plures centenariis proximos, & nonnullos centenariis maiores. Inter Ægyptios præsertim temperantiæ in victu præclara exempla animadvertere licet; ex his sapientiæ fama præstantissimi quique post maturam deliberationem longo rerum

Cass. coll. 2. c. 19. usu comprobátam victûs sui rationem in eos veluti cancellos redegerant, ut singuli ipsorum quotidie post Nonam duobus panibus vescerentur, qui ambo duodecim unciarum pondus non excederent, frigida insuper sitim levantes. Præsens remedium ád luxuriæ & avaritiæ tentationes solitudo erat, cujus ope ipsæ adeo rerum imagines, quibus exstimulári vitia illa solent, quantum quidem homini fas est, ex ánimis eliminabantur. Eidem avaritiæ bellum indicebant diligenti studio summæ paupertatis, fidelique & constanti animi inductione, nihil unquam proprium possidendi, verum in modo, quod ad vitæ propriæ sustentationem necesse foret, retinendi reliqua parte in egenos distributa. Tam ingentes porro erant hujusmódi eleemosynæ, ut Sáncto Augustino referente, naves interdum integras iisdem onerari contigerit. De Mor. Eccles. l. c. 67. Iracundiam, turbulentum & familiare nimium hominibus malum, silentii frœno & vitæ socialis usu coercebant; hæc enim vita singulos obligabat, ut alter alterius onera portare assuesceret. Denique socordiam assiduo labore, tristitiam precibus & psalmorum cantu, vanitatem & elationem obedientia & mortificatione domabant.

Erant tunc inter Monachos, qui agriculturam exercerent, & operarum adinstar messis aut vindemiæ tempore suos Domi-

nis

nis labores elocarent. Verum perfectiores inter illos plus justo distrahi animum hoc genere laboris animadvertentes, delitescere in cellis suis malebant, & storeas, casathosque, sive canistra ex junco & sparto contexere; propterea quod hac ratione animus a meditatione sacrarum Scripturarum non avocaretur, sed facultas relinqueretur mente ad cœlum identidem emicandi. Nemo tamen unus erat, qui ab exercitiis, ut dicere solemus, corporalibus penitus vacaret, aut libris saltem describendis non occuparetur. Cæterum in studia litterarum pauci admodum incumbebant, multi ne legere quidem sciebant. Neque tamen ea res obstabat, quin virtutis splendore maximam sibi venerationem, non modo ad vulgus, sed ad summos quosque viros utriusque ordinis & status sive laicalis, sive Sacerdotalis & Episcopalis conciliarent; út adeo ex Monachis non raro sánctissimi quique, & Ecclesiasticis muneribus præ cæteris apti viri ad Ecclesiarum & Episcopatuum gubernacula evocati fuerint. Tunc enim vero ex umbra in lucem prodibant, monasteriũ cum civitate commutantes, & in frequentia hominum more cæterorum Clericorum agentes. Nondum quidem per ea tempora solennium votorum nuncupatio usitata invenitur; nihilo tamen minus grande etiam tum nefas putabatur, si Monachus seu

Cass. Coll 24 de Mortific. c. 3. &c.

V. Cass. coll. 17 & 21.

ani-

animi levitate, seu qua aliá causa abstractus, solitariæ vitæ instituto ac veluti portu relicto in sæculi pelagus sese referret. Hujusmodi transfuga pœnitentiæ Ecclesiasticæ subjiciebatur, in bonis vero caducis aliam pœnam non subibat præter notam labemque nomini suo ea status permutatione inustam.

Tanta vero Monasticæ vitæ erat tamque late celebrata sanctitas, brevissimi ut spatio temporis per Orientem universum plura non solum Monachorum, verum etiam Monasteriorum millia efflloruerint. Qui solam S Pachomii regulam sectabantur, quinquaginta millia erant, per diversa quidem domicilia distributi, unius tamen Archi-Mandritæ imperio subjecti, & quot annis ad celebrandum Pascha convenire soliti. Facillimum porro erat ejusmodi Monasteria fundare. Neque enim hominis ullius aut permissione, aut subsidio opus erat, ut liceret caduca omnia abjicere, in loca inhospita secedere, pauperculas casas ex ligno & arundine ibidem repertis exstruere, vitamque in silentio & labore degere non modo sine ullius mortalium incommodo, sed etiam magno rei communis compendio, propter eleemosynarum, quæ ex desertis, uti supra demonstravi, submittebantur, copiosam largitionem usque adeo Monasteriórum numerus crevit, ut ex desertis locis in cultás regiones & con-

v. Chrysostom. Homil 14 ad in ep. 1 ad Timot

S. Aug. de Mor. Eccl 1. c. 67.

S. Hieronym. præfat. in Reg S. Pachom.

Act. Conf. 5. can. 535

fini-

finia civitatum novæ ac religiosæ coloniæ deducerentur. Et sane iniquum videbatur, fertilissimas mundi ac lætissimas plagas, cujusmodi Italia, Sicilia, & Græcia sunt, tam piorum cœtuum fructu atque exemplo privare. Cæterum instituti sui usque retinentes Monachi, his etiam in regionibus perinde acsi in eremo degerent, clausuram & silentium studiose observabant. Jam qui viciniores urbi alicui vivebant, ad publicam Ecclesiam ipsi quoque recipiebant sese, Episcopalis instructionis & divinorum mysteriorum futuri participes; locum tamen, quemadmodum virgines ac viduæ in Ecclesia certum, atque a reliqua multitudine sejunctum habebant. Nihil tamen ea res impedivit, quo minus intra religiosa etiam septá Oratoria haberent, in quibus státo quoque tempore comprecationi operam darent. Qui vero longius ab urbibus aberant, nonnullos e suo numero Sacerdotes habebant, qui divinis rite operári, & Sacramenta impértiri cæteris possent; & progrediente tempore consultius visum fuit, ut in unoquoque Monasterio unus saltem Presbyter cum uno aut duobus Diaconis versaretur, qui Abbatis insuper dignitate sæpe fulgebat. Hac ratione nulla foras prodeundi necessitate compulsi, in Monasteriis quasi mortui in sepulchris delitescebant, id quod splendidæ excusationis loco obtendebat

vafe-

vaferrimus Hæresiarcha Eutyches, cum Patrum Concilii Chalcedonensis ora reveritus, sistere se sacro illi Senatui non auderet.

Monacharum etiam domicilia in eremis erant, ubi personæ sequioris sexus commorabantur, adeo vicinæ virorum Monasteriis, ut mutuum inde auxilium haberent, simulque adeo ab illis sejunctæ, nullus ut periculo aut suspicioni relinqueretur locus. Monachi Sanctimonialibus ædiculas exstruebant, aliisque in operibus quæ majorem afferebant defatigationem, præsto illis erant; vicissim Sanctimoniales Monachis vestes consuere, aliaque id genus obsequia exhibere solebant, quæ tamen commercia charitatis nonnisi a senioribus quibusdam exercebantur, quibus solis ad hoc delectis Sanctimonialium habitationi appropinquare licebat. In urbibus etiam complures hujusmodi Parthenones fundabantur; in quibus consecratæ Deo Virgines, quæ in privatis antea ædibus vivebant, ad communis vitæ societatem colligebantur.

Episcopi, qui communis vitæ usum in Clerum suum invexerunt, exemplum ejus rei a vita Monastica sumpsere, ad ejusque normam, quantum per vitæ, ut vocant, activæ occupationes liceret, suorum disciplinam accommodarunt. Hinc est, quod istiusmodi Communitates non raro Monaste-

steria nominata fuerint: imo processu temporis utrumque nomen confundi ac permisceri cœpit. Sæculo Christi quinto Episcoporum & Presbyterorum in Galliis & Occidente pars maxima vitæ monasticæ institutum juxta & habitum amplexi erant. Sanctus Gregorius Magnus posteaquam ex Monasterii latebris; in quas, sæculi pompá valere jussa, sese abdiderat, in lucem orbis terrarum eductus fuit, vitam nihilominus monasticam pro se ipse constanter coluit, & Monachis sanctimonia longe clarissimis palatium suum complevit, ex quibus Episcopos sane multos, magnique nominis Augustinum præcipue aliosque Angliæ Apostolos, creavit.

V. Thomass. verb. Monast. Joann. Diac. l. 2. 6. 11. & 12.

Vitæ monasticæ princeps usus is erat, ut ad majorem perfectionem ejus adminiculo eluctarentur, cum animæ primigenio innocentiæ flore adhuc candentes, tum reversi ad Deum peccatores, quibus propositum erat, contractas sordes voluntariis pœnis eluere. Ea causa fuit, cur in Monasteria cujuslibet conditionis ac ætatis personæ admitterentur; Parvuli quidem, ultro a parentibus oblati, ut mundanis periculis lubrica ipsorum ætas mature eximeretur, senes item, qui vitæ finem ac veluti extremum actum sancte obire desiderabant: denique matrimoniis illigati, quorum uxores in eandem vitæ rationem sua ex parte ineundam conspirabant; Di-

ver-

versis hujusmodi classibus diversæ item regulæ a S. Fructuoso Bracarensi Archiepiscopo conscriptæ leguntur. Alii vero, qui per aliquot aut plures annos ex Canonum formulá pœnitentiam agere de suis criminibus debebant, multo sane commodius in Monasterio aliquo præstare id poterant, ubi & exempla communitatis novum stimulum & seniorum blanda alloquia haud parum solatii afferre pænitentibus possent; quam si iidem in turba hominum, aliisque Fidelibus permixti vitam austeram & a communi censvetudine abhorrentem vivere velle. Hunc in modum Monasteria alias carceris, alias exilii loco esse cœperunt, quibus persæpe summi quidam Viri conclusi fuerunt, Pænitentiæ causa quemadmodum in Gallia sub Regibus primæ & secundæ stirpis (Merovingorum & Carolingorum) & in Oriente post sæculum Christi sextum accidisse comperimus.

******************:****

CAPUT XVI.

Instituti Monastici cum vita primorum Christianorum comparatio.

Ex Monasteriorum hactenus descripta ratione luculenter ac prope ad oculum patuit Dei Providentia curaque plane

singularis conservandi in Ecclesia sua usque ad consummationem sæculi non modo puritatem in doctrina fidei, sed etiam in exercitatione virtutum perennem sanctitatem. Qui enim reflectere animum volet ad ea, quæ de veterum Christianorū disciplina in secunda huius operis parte dicta a nobis sunt, illaque conferre cum instituto S. Benedicti; & cum disciplina Monasteriorum, quæ hodiedum recte constituta sunt, ex facili, opinor, intelliget, parum inter utrumque vitæ genus interesse discriminis.

Dixeram eo loco, Christianos antiquiores negotium Religionis ac pietatis principe loco habuisse, cæteris omnibus rebus caducis eidem subesse & famulari jussis, quid vero aliud Monachi faciunt, qui mundo nuncium remisere, quo majori libertate *unum* illud *necessarium* curent, & quibus eam ob rem *Religiosorum* inditum nomen fuit, quod in nascente Ecclesia bonis omnibus Christianis commune erat; iidem Monachi, Ascetæ & Virgines personæ *Devotæ* nominabantur, quo vocabulo toti Deo dicati & mancipati intelligebantur

Veteres illi Christiani sæpe partim communiter, partim privatim orationes ad Deū fundebant, eaque assiduitate ad consuetudinem orandi sine intermissione, quoad mortalibus licet, quam proxime accedebant.

bant; atque hæc ipsa orandi Dei ratio & sacra Psalmodia nullibi melius ordinatá, nullibi exactius observata notatur, quã in Monasteriis, in quibus ea sæculis facile duodecim elapsis, nihil a prima sui institutione, quam S. Benedicto debet, degeneravit. Cum porro curis omnibus Monastici Viri vacui sint, quæ ab hoc sacro penso avocare ipsos possent, nihil mirum est, in eodem rite persolvendo cæteris religiosiores eos fuisse; vulgoque existimatur, ab iisdem Officium Ecclesiasticum in eam formam redactum & concinnatum fuisse, quæ inde a longissimo tempore ab universa Ecclesia in usum deducta fuit. Jllud

Thomass. I. parte l. 2 c. 6. 7. 8. n. 2. profecto extra dubitationem est, Divinum Officium a S. Benedicto ita distributum fuisse, ut singulis hebdomadis Psalterium absolveretur. A Monachis etiam addita sunt Canonico Officio *Prima* & *Completorium*, quæ initio privatæ solum preces erant in quavis familia christiana aut communitate religiosa ad diei cujusque initium & finem Deo sacrandum recitari solitæ; quarum proinde stabilem & publicũ usum Cassianus affirmat novum esse, suoque primum ævo introductum. In hisce

3 Instit. 4. 6. omnibus eadem Canonicorũ cũ Monachis disciplina fuit; imo Canonici, si eorum principia spectes, Regulares erant omnes. Præterea sæpe antiqui Christiani ad divinam mensam accedebant, sæpe item Monachi:

Discipulos S. Apollonii quotidie accessisse Ruffinus author est. Diu quoque antiquissimum morem retinuuere, tenendi apud se sacram Eucharistiam, quam ipsi sibi, cum Sacerdotis copia non esset, impertirentur. *S. Basil. Ep. 289 ad Cæsar. Patr.*

Veteres Christiani toti erant in legendis sacris libris. Idem in Regula S. Benedicti commendatur, quadragesimæ præsertim tempore, & Dominicis quibusque diebus, ut eo tempore lectio succedat operi manuum, quod cæterorum per hebdomadam dierum partem magnam occupabat, & cujus nostro in ævo vestigia quædam extant, etsi fateri necesse sit, genus istud monasticarum exercitationum minus, quam cætera, fuisse conservatum. *Reg. S. Bened. c. 48.* Silentii custodia, quemadmodum supra dicebam, necessaria erat peccatis lingvæ tam frequentibus inter homines, quam a sacra Scriptura reprehensis sedulo fugiendis, qualia sunt: obtrectationes, falsæ delationes, verba illiberaliter jocosa & histrionica, colloquia demum vana, *quæ ad rem non pertinent.* *Ad Eph. 5. v. 4.* Et animadvertere licuit, disciplinam eorum Monasteriorum magis adhuc vigere, in quibus silentii major ratio & cura habetur. Patrum & fratrum appellatio, pro cujusque ætate ac conditione, Fidelibus initio communis erat; iidemque Præsulibus & universis, qui authoritate in eos pollebant, magna submissione

morem gerere, arctissimo inter se nexu charitatis conjungi, hospitalitatis in peregrinos & in egenos misericordiæ officia colere solenne habebant; quorum nihil non in monasteriis frequentari hodieque videmus.

:***************

CAPUT XVII.

Monastici Habitus cultusque exterioris a communi usu diversitas, ejusque rei causa.

ERit fortassè, qui contra dicta proxime superiori capite ista objiciat. Si ita est, ut tu inquis, si monasticæ vitæ sectatoribus aliud nihil propositum erat, quam vitam ejusmodi instituere, quæ bonum Christianum condecet; cur tam singularia in speciem affectarunt? cur tam multa a reliquorum Fidelium consvetudine aliena præseferunt? quorsum ista in rebus mediis atque indifferentibus a communi more facta secessio? quorsum habitus vitæque totius exterioris ratio in victu, in somno, in habitatione adeo a cæteris hominibus diversa, ut inter Christianos totidem novas ac diversas nationes videre tibi videaris, quot extant hodie varii generis Religiosi Ordines? quo tandem spectat mul-

ti-

tiplex illa regularum differentia in rebus, nulla cæteroquin Dei lege seu imperatis seu prohibitis, quibus alii ab aliis ordinibus discrepant? Nonne ista studio excogitata áb iisdem videri possint, ut multitudinis in se oculis animisque conversis, vúlgi pláusum ac liberalitatem, suique reverentiam compararent? hæc sunt atque his affinia, qúæ complures taciti secum animo volutant, quæque nonnulli palam etiam jactare non verentur nimis quam temere, & per summam antiquitatis ignorationem. Qui enim dedita opera dispicere hánc in religiosis ordinibus exterioris cultus diversitatem volet, nihil in his moribus novum & insolitum, sed potius residuæ antiquitatis luculentam imaginem ibidem animadverteret, a monasticis ad hæc usque tempora quam fidelissime conservatam, dum interea cæterorum mores hominum stupendum in modum mutatos atque innovatos videmus.

Age enim, ut a vestimentis exordiamur, jubet suos Alumnos S. Benedictus una tunica cum cucullo, & scapulari veste pro manuum labore, contentos esse. Tunica hujusmodi sine pallio multo ante vestimenti genus erat infimæ plebi usitatum, quam proinde plebem Poeta *Tunicatum Popellum* nominat:

Villa vendentem Tunicato scruta Popello, *Horat. l. 1. ep. 7.*

Cucullus item capitis tégmen erat ob-

longum & acuminatum ab agricolis & pauperibus gestari solitum; quod subsecutis sæculis commune incœpit esse cujuscunque conditionis hominibus, nam & de Mævio servo Martialis ait:

Lib. 10. ep. 76. v. ult. *Pullo Mævius alget incucullo.*

Et de Manejo, qui non modo ingenuus erat, sed etiam pro Equite se venditabat, idem canit,

Illinc cucullo prospicit caput tectus.

Lib. 5. Epigr. 14. Cumque tegmen hoc capitis ad arcenda frigora peropportunum esset, illius usus ex eo tempore ita conservátus fuit, ut nonnisi duo abhinc sæcula cessarit. Imo Clerici quoque & literati Viri, atque adeo nobiles ac proceres diversi generis capitia sive cucullos gestabant. Porro Scapulare a Sancto Benedicto præscriptum fuit, cum labori manuumque operi insistendum erat; & est sane hujus vestimenti ingens commoditas, cum ad scapulas in sustinendo onere muniendas, tum ad ánteriorem tunicæ partem mundam sartámque conservandam. Patet igitur non alias S. Patriarcham filiis suis imperasse vestes, quam quæ pauperibus regionis illius communes forent, a quibus illæ nulla propemodum re differebant, nisi quod eiusdem omnes figuræ ac modi essent; id quod plane necessarium erat, ut a Monáchis omnibus indiscriminatim adhiberi possent. Nemini veró mirum videatur, si sæculorum omni-

no duodecim intervallo in habitu Religiosorum S. Benedicti quædam in colore & forma introducta fuerit diversitas, pro Regionum videlicet ac Reformationum varietate, Quantum ad alios Religiosos Ordines inde a quingentis sexcentisve annis institutos; isti quoque vestimentorum illud genus retinuerunt, quod initio fundati Ordinis sui in usu esse intelligebant. Horum major pars a vestibus lineis abstinet, quæ res nobis oppido áspera & dura videtur; verum lineæ supellectilis usus longe post Divi Benedicti tempora primum invaluit; imo nostra etiam ætate nondum in Polonia communis omnibus est; in Turcia quoque universa sine stragulis lineis dormitur corpore semivestito. Et tamen prius etiam, quam linteâmina insterni lectis, aliterque ad vestienda corpora applicari solerent, familiare hominibus erat, vestibus omnino positis somnum capere, uti hodiedum in Italia fieri assolet; Hæc cáusa erat, cur lege sancitúm in monasteriis fuerit, ut cum vestitu quisque suo, ac ne cingulo quidem lumbis detracto, quieti se dáret.

Jam ad victum quod attinet, supra iam demonstravi, non modo sapientissimos quosque Gentilium leguminibus & pisciculis victitasse, lectione insuper ad mensam adhibita; verum etiam Christianos probavi ad cætera Ecclesiæ universæ solennia je-

junia

junia multa alia privata pietate addidisse, multasque sub initium ac finem epularum persolvisse preces. Nihil ergo novi, nihil a communi usu remótum S. Benedictus suis præscripsit, quin potius paterna plane indulgentia erga eosdem usus fuit, ubi duo fercula cocta & vini nonnihil ipsis permisit. Manducandi & dormiendi tempora æqualiter omnibus definitá erant, & usque ad postremum hoc sæculum observata fuere; nona aut decima hora matutiná, ut hodieque opifices solent, prandebatur; sub horam porro sextam vespertinam cænári mos erat: ex legibus politicis, quæ de componendo vesperi igne, & claudendis fabrum ferrariorum officinis tractánt, colligere licet, nocturnæ quietis temporá ab hora octava vespertina usque ad quartam matutinam numerari solita fuisse, quæ sane certissima regula est, dimidium noctis accurate metiendi, prœterquam quod ista temporis distributione servata quam minima diei párs somno deperdatur.

Reg. S Bened. et c. 39. & 49.

Dormitorium nullo cellarum interpositu patens erat, omnibusque commune, quemadmodum in regulis S. Benedicti adnotatur, illudque plane demonstrabat vitæ communis perfectam rationem; nam in communitate vivere, si proprie loqui velímus, nihil aliud est, quam eodem conclavi ad nocturnam quietem, eademque mensa ad

c. 22.

sa-

famem depellendam uti. Magis etiam hac ratione paupertatis decus elucet, & quælibet virtus veluti in tuto ibidem versatur. Etenim superior nullo negotio observare omnia, & unico obtutu, siquid usquám citra modestiæ leges admitti contingeret, speculari potest, maxime cum ejusdem regulæ jussu Dormitorium lampade accensa nunquam non illustratum, lectulique ex culcitra straminea & stragulo compositi in propatulo esse debuerint. Mos iste dormiendi in domibus Hospitalibus retentus est, quem profecto constat fuisse antiquissimum, & primis Christianis familiarem; Nam Auctor Recognitionum proponit nobis S. Petrum una cum tredecim discipulis suis eodem in conclavi cubantem; huc etiam pertinet syncellorum, de quibus supra, institutum, ad hanc dormiendi consvetudinem proxime accedens. Nihilo ferme minor cellarum antiquitas erat, Quanquám, ut vere dicam, qui primi deserta loca inhabitabant Cœnobitæ, non tam cellas, quam casas sive taguriola singuli habebant inter se discreta, & Carthusiensium ac Camaldulensium cellis sive ædiculis haud absimilia: In Monasteriis tamen, ubi clausura strictior erat, angustiorque, cubicula hodiernis similia erant, cujusmodi olim in antiquis ædibus mancipiorum visebantur, quod enim pauperibus infimæque conditionis hominibus proprium erat,

id

id suos in mores Monachi, Christianæ humilitatis ergo, invexere. Cellulæ porro istæ, ad laborandum, ad legendum, & ad privatim orandum Deum aptæ erant.

Denique videor mihi in Monasteriis invenire adhuc vestigia quædam veteris architecturæ, qua Romanarum ædium partes antiquitus ordinari solebant, qualemque Vitruvius & Palladius nobis describunt. Ecclesia, quæ in monasticis ædificiis primum semper & anteriorem locum occupabat, ut nempe sæcularibus etiám accessus ad easdem pateret, successisse videtur primæ sive anticæ domuum antiquárū partis quam Romani *Atrium* vocabant; hinc in aliud Atrium pergebatur, porticibus desuper clausis circumdatum, quod ex græco *Peristylium* appellabatur; secundum hoc atrium Monasterii partem illam repræsentat, in quam ex Ecclesia intrabatur, & quæ proprie Monasterii claustrum nominatur, ex quo in cæteras Religiosi ædificii partes introitus patet, cujusmodi sunt Capitulum & Refectorium, quorum illud antiquis Exedrá, istud vero Triclinium dicebatur, demum hortus extremum plerumque Monasterii locum obtinet, id quod in antiquis ædificiis pariter usuveniebat.

Utcunque ista se habeant, illud certum exploratumque est, sanctos Viros regularum Monasticarum Conditores nec novitatis aliquid in Religionem nostram induce-

re, nec á reliquo cœtu Fidelium exotica vitæ ratione discedere cum suis voluisse. Nam ea, quæ in Monasteriis extraordinaria videntur esse, non tam Monachis ipsis, quam reliquis hominibus, qui a priscis illis moribus defecere, tribuendá sunt; perinde ac antiquissima ædificia singularia haberi cœperunt, propterea quod eá sola temporum injuriis superiora plurimorum spatio sæculorum ætatem tulerint; àtque sapientissimus quisque Architectus ædificiá ex antiquitate residua præcipuo studio inspicere, & contemplari solet, probe gnarus, non aliunde artem suam postremis hisce temporibus denuo suscitatam fuisse, quam ex antiquorum ædificiorum veluti excellentium prototyporum proposita ad imitandū forma ;ita optimì quique Christiani, ut viva & spirantia veræ virtutis exempla condiscant, háud perfunctorie observare debent, quæ in Monasteriis regulari observantia florentibus recepta usu vident. Haud equidem me fugit, pauca illorum superesse, quibus ipsa temporis diuturnitas, ut fit in humanis rebus, remissionis & laxamenti aliquid non attulerit; sed nimirum pâuca etiam atque adeo nulla hodiedum ex antiquitate remansere ædificia, quæ vitium fecerint omnino nullum; imo quam plurima eorum videas adeo male habita, ut præter rudera & parietinas nihil supersit, & tamen qui has ipsas ruinas,

nas attenta cura inspicere, qui fragmenta etiam exigua tam pretiosæ antiquitatis; veluti membra quædam & articulos elegantissimi quondam corporis, investigare velit, eaque cum iis, quæ hanc in rem ab idoneis authoribus scripta leguntur, conferre & comparare inveniet denique atque extundet ex his reliquiis totius veteris structuræ symmetriam occultumque artificium, & sensum scriptorum, qui de hoc argumento differuerunt, assequetur. Haud absimili modo plurimum utilitatis afferet, diligenter inquirere in exercitationes Monasticas, maxime si ad eas accedat studium Regularum ab Auctoribus sacrorum Ordinum præscriptarum, lectio item Canonum, Evangeliorum, & Vitarum Sanctorum, quibus nulla Ecclesiæ ætas vacua fuit. Interea fateamur necesse est, in Monasteriis vèluti in totidem Gazophylaciis totius retro antiquitatis asservari thesauros. Hinc eruti maxima ex parte sunt manuscripti Codices, quorum ad instaurandas humaniores artes ingens usus fuit; hinc Patrum opera, & Conciliorum Canones in lucem protracti; hinc demum ex Monumentis antiquarum in Monasteriis consvetudinum varia indies deteguntur, quæ ad illustrandam Ecclesiasticam antiquitatem docte curiosis hominibus jucunde mirificeque serviunt. Ad extremum perfectionis Evangelicæ exacta observa-

tio in Monasteriis, uti aqua in fonte diligenter custodito, pura ac defæcata usque permansit; cum interim eadem olim tam sancta disciplina per sæculi cœnosas paludes decurrens semper magis magisque inquinaretur, qua de re postrema hujus dissertationis parte agendum erit.

PARS IV.

Antiquæ & ſeverioris inter Chriſtianos Diſciplinæ relaxatio.

EXtremo loco pertractandum mihi hoc argumentum ſupereſt; quod exiſtimem, id a me depoſcere narrationis ordinem atque contextum, ut, veterum Chriſtianorũ expoſitis hucuſque moribus, ad extremum potiſſimas afferam cáuſas illius differentiæ, quæ inter noſtros primorumque Fidelium mores intercedit. Tanta vero eſt Chriſtianorum recentiorum a priſca illa vitæ diſciplinâ diverſitas, ut plures haud dubie deſcriptionem hanc íllis narrationibus ſimilem arbitraturi ſint, quas reduces ex longiſſimæ diſſitis regionibus viatores, de Indorum aut Chinenſium moribus vitæque inſtitutis proferre ſolent. Rudiores autem ægre admodum portentoſam hanc diverſitatem ſibi perſuaderi ſinent, cujus originem cauſaſque, litteratis quidem plâne perſpicuas, ipſi per ingenii hebetudinem non aſſequuntur. Generatim igitur, qua viá & rátione morum iſta laxitas incrementum ſumpſerit, edocebo,

CA-

CAPUT I.

Mali hujus inde à quarto Christi sæculo diversæ causæ.

Ex quo semel Constantinus M. Christianam Religionem publice complexus est, ad defendendam, modisque omnibus proferendam suscepit, certatim ad eam suscipiendam populorum studia conspiravere, fuitque illud maxime tempus, quo Prophetarum de Christi Ecclesia luculentæ vaticinationes ad literam, ut ajunt, impletæ sunt. *Erit in novissimis diebus præparatus mons Domûs Domini in vertice montium, & elevabitur super colles, & fluent ad eum omnes gentes: & ibunt populi multi & dicent venite & ascendamus ad montem Domini & ad Domum Dei Jacob, & docebit nos vias suas & ambulabimus in semitis ejus.* Hactenus disertis verbis Propheta Isaias. Nimirum quotidiana Gentilibus ante oculos observabantur, longeque celeberrima prodia, quæ ad Martyrum sepulchra edebantur: his adde morum sanctitatem, qua Christianorum plerique effulgebant; adde Religionis orthodoxæ invictum robur, quæ in maximis frequentissimisque trium omnino sæculorum jactationibus atque procellis adeo nihil imminuta aut labefactata fuit, ut ab ipsis potius damnis ac cædibus

Isa 2. v. 2. & 3.

bus vires sumeret novas, radicesque in dies ageret altiores. Ex alterá item parte sapientiorum inter Ethnicos Philosophorum vocibus editisque libris jám pridem explosa erat hominum in pluribus Diis adorandis stultitia, & Poetarum de ortu & natura Deorum commenta usque adeo exsibilabantur, ut plerique, qui ingenio valerent, fidem íllis omnem abnuerent, neque nisi politicis adducti rationibus ab imperita multitudine credi talia paterentur. Facile igitur ac perlubenter ab ea Religione descivere Gentiles, quæ publicá Principum protectione & Sapientum judicis veluti gemino fulcro destituta sponte quasi suá in casum inclinabant. Ergo Ethnicorum complures Christo se adjunxere; alii vero falsæ libertatis morùmque majoris licentiæ spe sibi proposita, nulli penitus Religioni sese addicebant, ne videlicet aut intellectum obsequio fidei subjicere, aut vitæ anteactæ dissolutionem, artesque ditescendi iniquas una cum male partis ábjicere cogerentur.

Quare Gentilium per ea tempora duplex fere genus duntaxat reliquum fuit, alterum eorum, qui solam consvetudinem pro vitæ norma sequentes, haud alio quam sensuum magisterio rerumque exteriorum imaginibus ducebantur; hi de rudi vulgo omnes ac fæce hominum erant. Alterum

vero

vero genus eorum erat, quos singulares appellamus, suique judicii plùs æquo tenáces; hi, noxia ingenii subtilitate dicam an obstinatione abrepti! Paganismum cæca quadam antiquitatis reverentia defendere, & allegoricis interpretationibus, quibus Philosophorum nonnùlli suæ sectæ putidas fabellas exornabant, a communi invidia vindicare conabantur. Isti omnes Platonici eorum temporum erant. longe tamen a Platonis veterumque Academicorùm, qui Platonem secùti fuerant, sapientia & doctrinæ soliditate remoti; Etenim omissis cæteris, ea solum, quæ in tota Platonis doctrina levissima erant maximeque infirma, sibi decernebant, atque hæc ipsa cum Pythagoræ placitis & Ægiptiorum mysteriis commiscentes novum sectæ genus procuderant. quæ tota magicis artibus tanquam fundamento nitebatur, & obtenta debiti spiritibus bonis ac malis cultus omne genus superstitionum probabat. Talis erat Juliani Apostatæ religio, cujus dogmáta in Apulejo, Porphyrio & Jambico videre licet, Pauci tamen Gentilium erant, qui in tam perplexas subtilitates induere se vellent, magisque in dies Idololatria evilescebat

In tanta multitudine hominum ad Christi castra turmatim convolantium fieri vix potuit, quìn aliqui eorum humanis duntaxat râtionibus pellecti adreperent; hu-

jusmo-

jusmodi rationes erant, spes aûgendæ sub Christianis Principibus fortunæ ac rei familiaris, studium gratificandi consangvineis & familiaribus, Dominorum, qui Christiana sacra jam complexi erant, reverentia & metus; denique omnia illa vanissima motiva ac momenta, quæ hodiedum mortales ad hypocrisin inducere solent. Quanquám qui isto ad terrena respectu ad Christianos transibat, intra Catechumenorum ordinem plerumque consistebant, cumque severior ipsis videretur morum apud Christianos disciplina, quam ut illi submittere sese auderent, baptismi susceptionem, quam poterant longissime, nec raro usque ad mortis articulum extrahebant; quo sic pœnitentiæ in Ecclesia palam subeundæ periculo liberi, pristinæ vitæ infelicem licentiam impúne continuárent. Alii contra baptizari se curabant, quin tamen serio ad Deum & sanam fidem conversi essent; quosdam levissimos homines attraxit curiositas propius inspiciendi Christianorùm mysteria, nullis aliis prætérquám Christianis manifestari solita; nonnullos superstitiosa cupiditas invitavit, qua stimulante diversi géneris ritibus initiari, & quidquid in quacunque Secta vel Religione sacrosanctum habebatur, experiri ipsi, partémque inde aliquam sibi præcerpere cupiebant, nullo inter Deum & Deos, inter Religionem & superstitionem habi-

v. Aug. de Catechiz. c. 17. Cyrill. Hierof. pro Catech.

habito discrimine Quantacunque vero Episcopi in examinandis fidei candidatis cura & providentia uterentur, nihilominus quia homines denique etiam ipsi erant, non poterant non interdum simulatione hominum fucoque facto circumveniri.

Vel ex iis ipsis, qui citra hypocrisin atque ex animo nomen Christo dederant, complures a primo fervore sensim remittebant Sublato per ea tempora Martyrii metu, mors ipsa longius, quam alias, distare & abesse videbatur. Sane si olim sopitis ad perbreve tempus Tyrannorum persecutionibus, Christianorum, qui tunc vivebant; fervor usque adeo intepuerat, ut Divus Cyprianus occasionem inde arripuerit, exprobrandi Fidelibus nimiam remissionem; quid arbitramur consecutis post temporibus factum fuisse, cum Ecclesia stabili pace frueretur, nec solum periculo vacaret, Christianum esse, sed honori idipsum duceretur? Interea Principes & Magistratus ad fidem recens conversi non cessabant christiane vivere, etsi bona suá & honorifica officia retinerent; hac re animadversa cæteri Fideles inferioris notæ pedetentim honores, divitias, vitæque commoditates non amplius, uti prius fecerant, horrere & aversari cœperunt; eoque factum, ut deliciarum amor, avaritia & ambitio rursus exacuerentur, ac veluti e somno excitatæ in animis Fidelium evigi- *S. Cyp. de lapsis.*

larent. Nimirum mundus, etiam ex quo Christianus factus est, non desiit esse mundus. Discrimen tunc fieri cœptum est inter Christianos & sanctos ác devotos, quæ tamen olim pro synonimis habebantur. Sæpe Divus Chrisostomus conqueri auditus est, propterea quod Auditores sui ad excusandam bonorum terrenorum nimiam aviditatem, ac lucri immoderatam sitim, dicere solerent, non esse se Monachos, sed matrimoniis implicitos alendæ familiæ onus sustinere; quasi vero qui Romæ & Corinthi olim vivebant Christiani, quosque Apostolus ad æmulanda charismata meliora, id est, ad perfectissimam vitæ rationem exhortabatur, & Sanctos nominat, connubiis ipsi quoque juncti non fuissent, vitamque, si exteriora spectes, commúnem ac popularem non egissent:

Nimirum naturæ nostræ corruptio inficit omnia & depravat. Quod in officio divino & functionibus sacris sensibús blandiebatur, eo ad dissolutionem plures abuti cœperunt. Publicæ hilaritates in Dominicis diebus, & celebriora per annum festa nonnunquam sobrietatis & modestiæ christianæ limites ita egrediebantur, ut quarto jam Christi sæculo, id quod supra commemoravi, necessum fuerit, abolere morem celebrandi convivia in festis Sanctorum Martyrum, prohibitique Clerici ad nuptialia festá intervenire. Probe nimirum

Origen. contra Celsum

mirum Origenes animadverterat, quam difficicile sit, gaudia illa, quæ sensibus percipiuntur externis, cum internis ac spiritualibus conciliare Mancipium enim est corpus nostrum, cui si in victu, in somno, cæterisque vitæ commoditatibus satisfacere studeas, continuo lascivire incipit, insolentiusque exultare. Nam spiritui & libertatem adimit ad cœlestia evolandi, & víres ad resistendum tentationibus infringit ác debilitat; nec diu mens humana dominium in corpus retinere valet, nisi aspere illud duriterque tractet, ac veluti flagello armata rebelli mancipio identidem immineat. Loquor hic de temporibus, quæ impræsentiarum describenda sumpsi, atque in illis minimos quosque defectus notatum eo, ut in ipsa laxátæ disciplinæ primordia ac veluti fontes totius malli digitum intendam, nequaquam tamen animus est, hac ìpsá rerum enarratione quicquam detrahere de illis laudibus, quibus Ecclesiæ mores generatim supra commendavi, quorum disciplina si unquam alias hoc ipso tempore maxime viguit, Cleri præsertim míra tunc sanctitas erat.

Etsi plane fateri cogor, non defuisse inter Ecclesiæ Antistites, qui plus justo titillari animum sinerent honoris & venerationis, qua passim excipiebantur, rara publicaque significatione, quique de abusu

Act. 3. & 10. ingentium Ecclesiæ bonorum, quorum administratio penes ipsos erat, interdum postulárentur. Liquet istud ex accusationibus contra Dioscorum & Ibam in Concilio Chalcedonensi factis. Crediderim tamen inter Episcopos orthodoxos neminem ferme repertum, cúi taliá ex vero objici potuerint. Sed quoniam sui quoque Christianis cæterisque hæreticis Sacerdotes, sui Episcopi erant, istorum inquieti ac turbidi mores reliquis etiam obfuere, deque debita sacerdotáli ordini reverentia non parum decerpserunt. Pessimi cũ apud Ethnicos tum apud Fideles haud satis eruditos exempli erat, videre homines tam verendis ánguftisque titulis conspicuos contra alios sui ordinis & status viros palám grassari, voce juxta & calamo mutuis sese calumniis discerpere, in Principum áulas animosque se insinuare, ád captanda videlicet factionis suæ patrocinia; nihil enim istorum omnium ab hæreticis tunc prætermissum fuit. Vidisses Anachoretas falso żelo extimulatos ex suis antris in confertum populum lautasque urbes prosilire, moliri seditiones, omniá per vim inauditam agere ac miscere. In Oriente præsertim id genus turbæ fervebant, ubi ánimi hominum natura sua præfervidi, & in susceptis semel consiliis præ aliis constantes atque obfirmati, simúl atque inordinata quadam affectione magis

inflammantur, in extrema omnia præcipites ruunt. Hac via reverentia adversus personas Religionis ministerio dicatas, quodque hinc plane consequitur, erga ipsam Religionem imminuta est.

Adhæc Gentilium fucatæ virtutes debilibus & pusillis offendiculo erant. Etenim non deerant inter illos, qui moraliter bene ac recte viverent, qui in promissis fideles, a fraudibus & sordibus alienissimi, æquitatem colerent, omnesque leges societatis humanæ ac civilis observarent, id unum sufficere homini existimantes, ut rationem quisque ducem sequeretur, non implicando se omnibus ac singulis quæstionibus, quas inter se Christiani agitabant. Perinde acsi Christiani non id agerent ac profiterentur, ut Rationem, eamque supremam, Verbum inquam Incarnatum, sequerentur. Hi mundani Sapientes fidem interpretabantur animi præoccupati levitatem esse; corporum vero afflictationem, exactam continentiam, spectaculorum & profanarum oblectationum fugam pro superstitionibus habebant. Tametsi vero Christianismus per ea tempora Religio dominans esset, Imperatore ipso eandem amplexo; Gentilium tamen numerus ado frequens adhucdum erat, ut impediri neutiquam possent, quin voce simulque editis libris ac publicis in Concionibus dogmata sua venditare pergerent. *v. Aug. contra advers. leg. & proph.*

Erant

Erant istæ quædam quasi reliquiæ priscæ Philosophorum libertatis, qua hæretici in rem suam naviter abuti sciebant.

Ex altera parte Infidelium cætera multitudo semper magis magisque in deteriora prolabebatur. Quidquid vitiorum initio promulgati Evangelii regnasse in mundo superius adnotavi, id omne adhuc impune dominabatur. Exceptis iis; quos modo commemoravi, paucis Philosophis aliisque, quorum in vetere instituto retinendo pertinacius & Atheismo magis adjectum erat ingenium, nemo fere unus Græcos inter & Romanos reliquus erat, cujus probitas & virtus cæterorum malitiam exæquaret, aggeremque veluti objiceret exundanti licentiæ. Sub eadem tempora accidit, ut orbis Imperium ac summa potestas in Occidente corrueret; nam in Oriente Imperium ipsum tamdiu solum stetit, quamdiu armorum vi impugnatum non fuit. Nulla tunc amplius militum disciplina, nulla Ducum authoritas, nulla Conciliorum exequendorum ratio, nulla in gerendis negotiis peritia, usus rerum nullus erat; in juvenibus fortitudo, prudentia in senibus, in universis patriæ ac boni publici amor exoleverat, ad privatas quisque voluptates & lucra intentus erat: omnia proditione ac perfidia gerebantur. Románi luxu otioque fracti atque effœminati, quo se a Barbaris de- *v. Amm. Marcell.*

sen-

fenderent, Barbaros alios stipendiis alebant suis; cæterum deliciis immersi noxiam delicatioris vitæ elegantiam, cui solidi nihil suberat, affectabant Quid multa? criminum & abominationum ipsorum completa mensura, justissimus Arbiter Deus supplicium denique de impiis sumpsit, a S Joanne in Apocalypsi multo jam ante prædictum. Urbs orbis caput iterum ác sœpius a Bárbaris occupata & expilata fuit; vindicatus innumerabilium Martyrum sangvis, quo Roma se ingurgitarat; demum Occidentis Imperium in prædam cessit populis septentrionalibus, qui supra ejusdem rudera nova regna exædificarunt.

lib. 14.

Apoc. 13 & 18.

Cum itaque in medio tam pravæ corruptissimæque actionis (Romanos eorum temporum intelligo) Christiani viverent; fieri vix potuit, quin virtuti eorum labis aliquid aspergeretur, ipsique a pristinis sanctissimisque moribus sensim defluerent; maxime cum ab Infidelibus non amplius, uti olim persecutionum tempore, divisi ac separati degerent, nec jam ab ipsorum sectationibus, sed magis a familiaritate & blanditiis eorum cavendum esset. Nemo proinde miretur, si a sæculo Christi quarto vitia Christianis exprobrata a Patribus fuisse legat. S. Augustinus aperte libereque de illis Ethnicos præmonere non dubitavit, qui Christo dedere se cogitabant,

ut ea propius subinde inspecta minori recens conversis admirationi & scandalo essent: *multos visurus es*, ita Augustinus, *quorum perversæ turbæ corporaliter implent Ecclesias, ebriosos, avaros, fraudatores, aleatores, adulatores, fornicatores remedia sacrilega sibi aligantes, præcantatoribus vel quarumlibet impiarum artium divinatoribus deditos: animadversurus etiam es, quod illæ turbæ per dies festos Christianorum impleant Ecclesias, quæ implent & theatra per dies solennes Paganorum*; & tamen omnes istos adhuc pro Christianis haberi, imo ab ipsomet Deo veluti paleam usque ad tempus ventilationis sustineri, Sanctus Doctor affirmat. Idem ubi contra Manichæos disputat, ingenue fatetur, *in tanta copia populorum non deesse Professores nominis Christiani, nec professionis suæ vim aut scientes aut exhibentes. qui vel in ipsa vera Religione superstitiosi sunt, vel ita libidinibus dediti, ut obliti sint, quid promiserint Deo*. In eandem sententiam persæpe alias S. Doctor loquitur in libris suis contra Donatistas scriptis, ubi luculenter demonstrat zizania in agro Ecclesiæ cum electo frumento permixta esse debere, usque ad tempus messis, ad diem inquam extremi judicii: sed juvat Sanctum ipsum suis verbis loquentem audire: *nunc vos*, inquit, *illud moneo, ut aliquando Ecclesiæ Catho-*

Aug. de Catech. rud. c. 7. & 25

De morib. Eccles. c. 34.

Aug. ubi supra.

tholicæ maledicere desinatis, vituperando mores hominum, quos & ipsa contemnat, & quos quotidie tanquam malos filios corrigere studet, . . qui autem voluntate mala in pristinis vitiis perseverant, aut etiam addunt graviora prioribus, in agro quidem Domini sinuntur esse, & cum bonis seminibus crescere; sed veniet tempus, quo zizania separentur. Haud absimilia hujus inter Christianos remissionis argumenta in Chrisostomi aliisque Patribus legere est. *Chrys. in Matth. Hom.* 61.

Quorsum igitur, inquies, pœnitentiæ publicæ, quorsum excommunicationes in Ecclesia etiamtum usitatæ? ut a vitiis nimirum Ecclesia multis quidem, sed non plane omnibus perpurgaretur. Ad imponendam enim publice pœnitentiam peccatorem oportebat aut petere illam, aut certe acceptare, quare necessarium erat, ut peccatum quisque suum confiteretur sive spontanea sui denunciatione, sive aliorum delationibus acquiescendo. Porro excommunicationem quod attinet, ista in eos duntaxat fulminabatur, qui, quanquam seu propria confessione, seu judiciali probatione, seu publica demum facti evidentia convicti criminis erant, pœnam nihilominus expiando crimini propositam subire detrectabant. Accedit, quod Episcopi, qua erant prudentia & in subjectos charitate præditi, non nisi lente ac peraegre ultima

ma hujusmodi malorum remedia adhibere solerent. Prius enim peccatorem de crimine convictum, nec tamen facti pœnitentem, de præsenti maximoque animæ periculo admonebant, utque eo se expedire non tardaret, instabant, neque præcibus, lacrymis, comminationibus, ut cor durum emolirent, parcebant ullis, ad Deũ etiam conversi, gemitus suos totiusque Ecclesiæ ad id congregatæ comprecationes convertendo homini impendebant, sique mores usque necteret obstinatus peccator, non continuo animum despondebant, quin potius patientiam & longanimitatem Patris misericordiarum imitati, errantes, donec in viam redirent, diu admodum exspectabant, ac præstolabantur. Ad extremum ubi omnia hæc sola ex charitate veluti deprompta leniora jacula effectu frustrata videbant; tum vero ultimum tristissimumque anathematis fulmen coacti vibrabant, animi dolore nihilo minori, quam quo piissimus quidam parens, ut filii vitam servet, filii brachium suismet manibus a corpore amputare cogitur.

Const. Apost. 2. c. 41.

Cæterum quorum occulta manebant crimina sive quod natura sua ejusmodi essent, ut soli Deo paterent, sive quod probari idoneis testibus non possent, ii enim vero remediis illis Ecclesiasticis sanari non poterant; nec aditu ad Ecclesias, nec Sacramentorum communione, siquidem sa-

cri-

crilego ore contingere illa non metuerent, interdici occultis hisce peccatoribus fas erat. Quamdiu persecutionum æstus tenuit, non deerant certa argumenta, quibus paleæ a tritico, & ab auro scoria in igne illo persecutionum secerneretur; at ubi publicarum vexationum conquievit furor, facile erat perpetuá ad mortem usque simulatione & hypocrisi suos reatus occultare. Interea tam flagitiosi debilesque Christiani multum Ecclesiæ Dei malis sermonibus, plus etiam pravis exemplis suis nocebant, domi præsertim & privatis in familiis. Liberos enim suos oscitanter & perfunctorie institutos ad baptismum nihilominus adducebant. Constat autem quantorum malorum primis illis sæculis fons & origo esset domesticæ instructionis neglectus; quemadmodum per ea tempora baptizatos recens parvulos publica catechesi erudiri solitos fuisse, nusquám legimus.

*********************:***

CAPUT II.

Barbarorum irruptiones, & corrupti mores.

NIhilo minus Ecclesiæ Christi Barbarorum incursiones & illata Imperio Romano vastitas, quam Romanorum

per

per ea tempora inquinati mores fraudi fuere. Evangelium enim, utpote suprema regula omnis recti & rationis, ex æquo reiicit affectiones omnes ac defectus sanæ rationi oppositos. Neque stupidi neque astuti ac versipelles, neque feroces, neque languidi remissique animi, cum in hujusmodi vitiis persistunt, esse veri Christiani possunt; nec minus crudelitas & ferocia, quam luxus atque mollities severæ castæque Religioni adversantur, perindeque cum pietate, quam cum justitia & qualibet honesti norma bella, & hostilis agendi modus pugnant. Multum igitur Ecclesia Dei passa est ea rerum omnium perturbatione, cum barbaricæ gentes e Borealibus plagis effusæ universum Imperium veluti facto impetu inundarunt. S. Hieronymus aliique, quorum ætas in ea tempora incidit, non uno in loco rerum adeo miserabilem statum deplorant. Et sane urgens necessitas & cura vitam & fortunas conservandi, cum aut impetu expugnata civitas aliqua esset, aut hostium direptioni tota Regio pateret, sollicitudo item servitutem a se, & vim ab uxoribus abstinendi nimium vehementes sunt aculei, quibus ad negligenda spiritualia sollicitantur mortales; nec nisi perfectæ, planeque heroicæ virtutis opus est, inter corporum cædes & carnificinam, inter horrorem sangvinolentæ victoriæ animo sibi con-

Hieronym. in Isa. c. 5 in fine.

constare. Adhuc supersunt Divi Basilii, & antiquiores S. Gregorii Thaumaturgi literæ, quibus Ecclesiasticæ pœnæ iis distantur, quos Barbarorum in Cappadociam factæ irruptiones in diversa crimina præcipites egerunt.

Quo tempore Vandali totam late Africam depopulatum ibant, nihil ita Sanctum Augustinum afflixit, quam animorum pericula & interitus, queadmodum Posidius in ipsius vita refert: *hanc ferocissimam hostium grassationem & vastationem, ille homo Dei .. non ut cæteri homines, sentiebat & cogitabat; sed altius & profundius ea considerans & in his animarũ præcipue vel pericula vel mortes prævidens .. amarissimam & lugubrem præ cæteris suæ senectutis jam pæne extremam ducebat ac tolerabat vitam. Videbat enim... Ecclesias Sacerdotibus ac ministris destitutas. virginesque & quosque continentes ubique disipatos. & in his alios defecisse tormentis, alios gladio interemptos esse, alios in captivitate perdita animi & corporis integritate ac fide, malo more ac duro hostibus deservire. Cernebat etiam hymnos Dei & laudes de Ecclesiis deperisse, ædificia Ecclesiarum quam plurimis locis ignibus concremata esse ... Sacrificia & Sacramenta divinâ vel non quæri, vel quærenti qui tradat, non facile reperiri... ipsosque Ecclesiarum Præpositos* Posid. in vita S. Aug. c. 28.

&

& Clericos, qui forte Dei beneficio vel Barbarorum manus non incurrerant, vel evaserant, rebus omnibus exspoliatos atque nudatos mendicare, nec eis omnibus ad omnia, quibus fulciendi essent, subveniri posse. Facile ex hoc uno exemplo quisque æstimaverit, quid aliis multoque amplioribus Provinciis Hispaniæ, inquám, Galliæ & Jllyrico factum fuerit. Quis vero in hac temporum calamitate modus, quæ via relicta erat, erudiendi populos, Presbyteros & Doctores formandi! qua ratione visitare gregem suum sacri Pastores, aut cogere Concilia poterant, vacuis Episcoporum sedibus explendis, tuendæque disciplinæ idonea! Profecto habet Ecclesia, cur in omnibus suis orationibus pacem & tranquillitatem a Deo publicam exposcat tanquam fundamentum, cui universa Religionis exercitia necessario innituntur.

Non equidem negaverim, Barbáros etiam ipsos ad fidem conversos fuisse; nam Franci ex Gentilibus Christiani, Gothi & Longobardi ex Arianis Catholici facti sunt; sed tamen iidem diu admodum Barbari permansere. Bárbariem hic nomino illam animi dispositionem, qua occupati homines nón rationis usu, sed affectionum impetu & consvetudinis æstu quodam ac torrente agi se, abripique sinunt. Quanta vero solius etiam consvetudinis esse vis & efficacia soleat, exemplo suo luculenter

obten-

obtendunt Iroci, sive Iroques aliique Americæ populi, quos Barbaros appellámus. Vix ulla nobis cognita Natio est, ab animi perturbationibus perinde atque illi, libera & immunis, mansveti sunt, continentes, & patientes ut nemo supra; colunt justitiam, grati adversus benefactores existunt; sua facile largiuntur, exercent hospitalitatem. Et tamen ad hanc usque diem laboratum est, & prope incassum labor omnis cecidit, ut in veros Christianos formarentur, iis solum exceptis, qui inde a pueritia sua *Parentum* oculis subducti, interque Christianos educati fuere. Atqui his populis nec ingenium, nec animus deest ad eas res, quibus a puero assueverunt, tractandas; ut vero novas rerū ideas animis admittant, induci & condocefieri neutiquam possunt. Non capiunt illi, Deum Universi Creatorem, omniumque sub sole nationūm ex æquo Dominū esse; Non intelligunt necessitatem unius solummodo Religionis per totum orbem terrarum communiter omnibus amplectendæ: quid sibi velit spes & exspectatio futuræ vitæ, in qua bona solum spiritualia promittuntur, non percipiunt; Longe vero minus abstrusiora fidei nostræ Mysteria assequuntur. Ista quamdiu exponi sibi audiunt, árrectis quidem auribus pacatoque animo adstant, ut crederes, admirabili consensu annutuque omnia illis probari

bari; at ubi dicendi finem feceris, nihil te ipsis persvasisse comperies. Siquis eorum baptismá interdum expetat, id fere fit præsentis alicujus commodi ac lucelli proposita spe, atque ad obtinenda nescio quæ crèpundia, quibus mirifice tenentur; hujusmodi munusculorum aliquid ubi primum impetrarunt, continuo obligatæ Christo fidei immemores, cum suis popularibus ad genium redeunt, pristinamque consvetudinem mactandi hostes suos & humânis carnibus vescendi. *Aliud* Barbarorum genus est longe stupidissimum, uti Nigritæ & Cafri, in quibus nec sensa ulla Religionis, nec aditum ad ea duris ingeniis instillanda invenias; adeo isti nihil percipiunt, nisi quod manibus, sensibusque externis usurpari possit. Omnes istos in homines ante convertas, oportet, quam Christianos efficias.

Nequaquam eo dicta hæc velim, ut Francos aliosque populos Romanorum victores in eodem plane statu versatos fuisse existimem; illud solum contendo, quod extra controversiam est, nulla ipsos litteratura, nullo liberali ingenuoque studio excultos, nec agriculturæ, nec aliis honestis artibus aut opificiis addictos olim fuisse, sed prædationibus cædibusque unice intentos, ut adeo solus ipsorum conspectus Romanis horrori esset. Præterea in illorum moribus, omnique vitæ ratione

plu-

plurimum levitatis & inconstantiæ inerat, quæ barbarorum præcipua maximeque propria videtur esse nota; nam rationis primus fructus est constantia, & in consiliis omnibus, actionibusque æquabilitás. Sane humano more non vivit, qui habenas pravis appetitionibus suis laxans, rerum externarum, quæ in horas mutantur, impressiones temere sequitur. Nemo prudens negaverit, inter primos Francorum Christianos Reges non modo discriminis, verum etiam oppositionis plurimum fuisse. Clodovæus cum suis liberis ex una parte zelum & venerationem erga res fidei præsferebat insignem; idem támen ab injustitiæ & crudelitatis labe non excusatur. Gunthramnus Rex optimus, quem Ecclesia Sanctorum catalogo inseruit, inter multa & præclara píetatis opera suos etiam manes ac nævos habuit; denique Dagobertus tot cœnobiorum pientissimus conditor vitiis item insignis fuit. Non deerant quidem tunc Episcopi sanctimonía, & libertate Apostolica præstantes; verum hi ipsi inter multa mala, quod minus erat, eligendum putantes, Principes Christianos quantumvis imperfectos, ac in morum disciplina solutos, quam Paganos Ecclesiæ persecutores, & jurátos hostes sustinere malebant. Quam vero parum fiderent Barbaris ad fidem conversis, inde liquet, quod duorum circiter sæculorum *Martyrol. Rom. 28 Mart.*

ſpátio nullos ferme præter Romanos ad Clericalem Statum evectos legimus; id quod ex eorum nominibus intelligere licet.

********************:*****

CAPUT III.

Romanorum cum Barbaris permixtio.

PRoceſſu temporis Romani cum Barbaris ſenſim & pedetentim in unam nationem coiere; quemadmodum vero in colorum permixtione accidit, ut de ſuo uterque aliquid amittat, & ex utroque tertius color exiſtat, qui priores omnino delet; ita Bárbari uſu & conſvetudine cum Romanis mánſuefacti & eruditi fuerunt; Romani vero rudiores, magiſque agreſtes effecti: ut adeo jam inde a ſexto Eccleſiæ ſæculo ingentem morum in Occidente inclinationem obſerváre liceat. In pervolvendis Hiſtoricis, Poetis, aliiſque profanis Scriptoribus longe tunc minus, atque olim, operæ ponebatur. Verebantur nimirum, ne huiuſmodi libros lectitándo ad alia, quæ directe ad Religionem non pertinent, animus avocaretur, quem uni huic negotio intentum volebant; cum tamen hæc ipſa profána ſtudia Religioni nequaquam inutilia ſint, imo vero perquam

oppor-

opportuna ad cognitionem antiquitatis; ſanamque Criticen conſervandam. Qui enim hisce præſidiis destituti ſunt facile ſuppoſita, illuſtribuſque Auctorum Eccleſiaſticorum nominibus inſignita volumina pro genuinis admittunt, nimiumque ſe credulos præbent ad omne genus miraculorũ, unde unde afferantur, complectendum. Miraculorum, quæ ab Apoſtolis & ipſorũ Diſcipulis maximo numero patrata dicebantur, quæquæ indies ad Martyrũm ſepulchra edebantur, tam celebris & conſtans fama percrebuerat, ut ejuſmodi prodigia non amplius accurato examini ſubjicerentur; & ut quæque hiſtoria miraculis iiſque præter morem ſtupendis maxime referta erat, ita lectu jucũdiſſima habebatur.

Verum hanc in moribus & doctrina barbariem abunde compenſarunt rara pietas, aliarumque ſolidarum virtutum ornamenta. Tota morum diſciplina, quam in tertia huius Operis parte expoſui, ad decimum uſque Chriſti ſæculum duravit. Nunquam Chriſtiani, interque iſtos Principes ipſi ac Reges, in pſalmodia divina magis aſſidui, nunquam ad obſervanda eccleſiaſtica jejunia, ad dies feſtos rite agendos, denique ad omnia Religionis exercitia ferventiores fuere, quam his, de quibus nunc ago, temporibus. Vidiſſes ſacros Antiſtites admirabili vitæ integritate conſpicuos, orationi juxta & lu-

cris animarum unice intentos: testes hujus rei appello Apostolicos illos Viros, quorum opera, & prædicatione in Gallia Belgica, in Germania, aliisque ád Septentrionem longius porrectis provinciis Christi fides plantata fuit

Episcoporum etiam authoritás cum die crescebat; nam præter Sacerdotii dignitatem, vitæque sanctimoniam, singularis peritia in negotiis pertractandis, & in populos amor ác propensio passim ipsos commendabant. Tempore barbaricátum irruptionum, ac vástationum persæpe accidit, ut exultanti ferocientique Barbaro Victori unus aliquis Episcoporum veluti aggerem murumque sese objiciens, civitatem sibi creditam vel cum periculo proprii capitis a direptione vindicaret. Sic Roma contra Attilam a S. Leone Papa defensa fuit; sic Trecæ a S. Lupo, Aurelianum a S. Aniano servata; ex adverso S. Desiderius Lingonensis, & S Nicasius Rhemensis Episcopi pro grege suo Vandalorum ferro occubuerunt. Postquam ad nostra sacra Ethnici Principes transiere, Episcopos adhibuere sibi a consiliis, fidissimosque experti sunt Ministros. Neque ad alium finem sanctissimi Pastores & sua authoritate, & Ecclesiarum suarum opibus utebantur, quam ut pauperum inopiæ, publicisque utilitatibus servirent. Legantur in Anastasio admiranda opera, quæ a S Gregorio

gorio cæteri Summi Pontifices usque ad Caroli M. tempora militi fuut, partim in reparandis Romæ ruinis, partim in Ecclesiis, Xenodochiis, imo viis etiam publicis & aquæductibus exstruendis, partim denique in universa Italia a Longobardorum furore, & avaritia Græcorum vindicanda. Legantur S. Amulfi, S. Eligii, S. Audoeni. S. Leodegarii Acta, & res præclare gestæ aliorum Præsulum, qui ad publica negotia adhibiti fuere; & facile constabit, adeo nihil politicis rebus Christianismum officere, ut illis potius pro solidissimo fundamento serviat; nulla enim re facilius arctiusque mortales ad mutuam inter se ferendam opem conjunguntur, quàm Religionis vinculo.

Tanta Episcoporum, & Abbatum existimatio atque authoritas sensim sine sensu temporali etiam jurisdictione, & sæculari potestate confirmata fuit, Dominique, ac Principes evaserunt Viri Ecclesiastici cū iisdem juribus atque oneribus, quæ Laici aut sæculares Domini habebant; nam ad suppetias militares tuendæ rei communi submittendas & non raro ad easdem in campum educendas obligabantur. Satis quidem tum temporis nationes inter se permixtæ erant, ut nullo amplius habito ex Barbaris perinde atque ex Romanis Clerici possent creari difficile tamen factu erat, ut qui ex Barbaris eo evecti erant, mores suos omnino dediscerent. CA-

CAPUT IV.

Mores Christianorum Orientalium post sæculum quartum.

Etiam in Oriente, etsi aliis ex causis, laxata fuit Fidelium disciplina. Plurimum in animis hominum valuere hæreses ibidem grassantes, quarum impetu multorum ab imis fundamentis labefactata fuit fides. Suos ex una parte Nestorius, suos Eutyches ex altera parte vel potius Dioscorus Sectatores maximo numero habebant. Disputationum nullus erat finis, eæque in contentiones & seditiones sæpenumero erumpebant. Clerici & Cœnobitæ uti cæteris zelo præstabant, ita animis magis incendebantur. Anachoretæ quidem hæretici, ubi semel inconsiderato æstu abrepti ex antris suis in civitates se retulerant, Dei & Religionis, ut ipsi quidem existimabant, acturi causam, nullum violentiæ genus a se alienū putarunt. Perspectæ sunt eruditis funestæ tragœdiæ ab inimicis Chalcedonensis Concilii in Ægypto & Syria editæ.

Imperatores Christiani ut authoritate sua tantis malis obviam irent, majus malum patraverunt. Nam cum ipsorum fuisset, Ecclesiæ sanctiones & decreta exe-

cutioni solum mandanda curare, pœnis de rebellibus & seditiosis in tempore sumptis; longius provecti, quam per statum liceret, argumenta fidei ipsi cognoscere, & ad componendas de religione controversias Edicta promulgare, viamque pacificandi omnia inire non dubitarunt periculi plenissimam. Subinde Episcoporum timida conniventia freti ac suffulti, dum Ecclesiasticam disciplinam recte ordinare student, eandem penitus evertunt, nulla alia relicta regula, quamquæ Imperatorum ex voluntate fluxisset

Licet autem Imperium adhuc regeret sese ac sustentaret illud tamen neque Romanorum amplius, nis ex nomine, neque Græcorum, nisi ex lingvæ Græcæ usu dici poterat. Thraces, Jllyrici, Isauri; Armeni, Persæ, Scythæ, Sarmatæ, Bulgari, Russi, denique Barbarorum omnis generis colluvies Imperium re ipsa obtinebat. Inde est, çur nulla propemodum natio tam corruptis moribus fuisse a Scriptoribus dicatur, qualis Græcorum erat extremis illis temporibus, Vitia isti quidem Majorum suorum habebant, sed virtutibus ipsorum, elegantia morum, & scientiarum laude carebant Hi tamen omnes Christiani tunc erant, iidemque ad nostra usque tempora priscæ Religionis exteriorem cultum magno studio conservabant.

Non poterant isti non frequenter & fami-

familiariter agere cum Mahometanis, ex quo isti rerum in Oriente potiti sunt; ino quam plurimi ipsorum Mahometanis in Ægypto & Syriá subditi erant, quin tamen cessarent Christiani esse. Nam Musulmanni, ita nominantur impurissimi Mahometis asseclæ, victoriis suis, & armorum secundo cursu religionem falsi Prophetæ ita stábiliverunt, ut in Provinciis, ubi Christiana Religio conváluerat, minime istam abolerent. Insulsior enim Mahometis doctrina erat, quam ut ab hominibus veræ fidei cognitione jam imbutis admitteretur. Exigebat enim a suis sectatoribus, ut a Deo missum se crederent, cum tamen hanc sui Missionem nec Prophetiæ cujusdam præviæ, nec miraculi ullius efficacia, ac ne ratiocinando quidem, sed sola simplicique sua asseveratione persvadere aliis conaretur. Invenit tamen Impostor ille stultissimæ sectæ discipulos, tum quia ad Arabes se convertit, homines perinde stolidos & obesæ naris ac ipse Mahometes erat; tum quia prospera in bello fortuna úsus, spolia & prædas liberâliter cum suis divisit, barbaram adeo sectam horrebant Christiani, multoque ante servire Musulmannis coácti sunt, quam ut sociáliter cum iisdem vivere in animum inducerent.

Ad extremum tamen, usu ipso horrorem leniente, iisdem assueverunt, & intra du-

cen.

centorum annorum spatium corroborata sub Calipharum Abasidarum regimine Musulmannorum potestate, minus odiosa videri Christianis cœpit ipsorum secta, utpote qui tot annorum lapsu rudes effecti, longaque servitute fracti jam erant. Satis tum temporis Mahometismi origo habebat antiquitatis, ut fabulas suás áque ineptissimarum rerum farraginem in Alcorano contentam involvere tenebris, & vero illustrare etiam posset. Nam in Alcorano illo tertio quoque verbo repetitum Dei nomen ad fucum indoctis faciendum mirifice váluit. Ubique Pseudo-Propheta ille unum Deum prædicát, & fugiendam hortatur idololatriam. Judicii extremi, *Inferni*, & Paradisi Mysteria proponit; de Moyse, de Prophetis, de Apostolis & Martyribus perhonorifice loquitur, ipsum adeo Redemptorem nostrum summis laudibus extollit. Ex alia parte multas Mahometani exteriores Christianismi functiones imitantur. Septies in die láudem Deo Christiani dicunt; Mahometani quinque vicibus Deum precantur. Illi jejunium quadraginta dierum, isti dierum undetriginta, observant, quibus nonnisi vespere, quemadmodum eo tempore Christiani solebant, cibum capiunt. Christiani Dominicum diem, Mahometani feriam sextam celebrant. Nos ad Ecclesias orationis, sacræ lectionis & sacerdotalis institutionis causa convenímus, isti quoque in

fanis suis utcúnque orant, Alcoranum ibidem legunt, & Doctorum suorum audiunt exhortationes, peregrinationes item pietatis causa instituunt ad terram, quam ipsi sanctam arbitrantur, & ád sepulchra eorum, quos pro Martyribus habent. Multi præterea sunt, & munifici in erogandа stipe, numerumque Xenodochiorum fundarunt bene magnum. Ne Religiosorum quidem aliquam apud eos speciem desideres, quì in communi viventes horribilem in sua corpora exercent carnificinam. Nùllum enim externæ severitatis genus est, quod homines quamlibet vera virtute vacui, sive vanitáte, sive lucri cupidine imitari non valeant; ut vero domi delitescere in silentio & manuū labore velint, nisi Christiani sint, consequi non poterunt.

Solent non raro homines in sinu Christianæ Religionis educati, cum exteras Regiones obeunt, non parum commoveri animis, ac sollicitari, ubi hanc Religionis veluti larvam virtutesque Infidelium more humanas ac naturales intuentur; imo persæpe ad suos redeunt in fide nutantes, & ad quidlibet in materia Religionis credendum dispositi. Quantam igitur existimamus miseris illis Christianis obortam fuisse sensationem, qui in ditione Turcarum nati vitam ibidem exigere omnem debebant; qui sub durissimo ipsorum jugo

fer-

ferme semper ingemiscebant, neque alia ratione fortunas suas in túto collocare se posse intelligebant, quam Majorum suorum ejurata fide. Mirandum sáne est, non omnes plane perversos fuisse, & ad defectionem a fide traductos; ingensque numerus Fidelium, qui universo in Oriente post mille annos remansit insigni argumento & Evangelii vim, & Mahometismi demonstrat infirmitatem.

Jlli etiam Christianorum, qui sub Imperatorumm Orientis dominio permansere saltem ex commercio cum Mahometanis, usuque cũ hæreticis, quibus Orientalis Ecclesia scatebát, facilé labis aliquid contrahere poterant. Fama est Leonem Imperatorem, Inconocláſtrum caput a Judæis & Saracenis, qui Mahometani Arabes erant, seductum fuisse ac depravatum. Michael II. cognomento Balbus. pro Semi-Judæo habitus fuit. Michael III. cum aliis eorundem scelerum sociis Religionis nostræ augustos ritus, atque adeo tremendum Altaris Sacrificium sacrilega petulantia per jocum imitari non erubuit: Non longe postistum alium animádverto Imperatorem annis & júdicio immaturum, Alexandrum, inquam, Leonis Philosóphi Filium, qui in Christianismum impiis vocibus aperte grassari, & idololatriam anhelare veritus non est. His omnibus attente perpensis, subit animum suspicari,

pri-

primos inter nationes fuisse Græcos, apud quos morum licentia vitæque libertas initium sumpserit. Nihil tamen ista opinione detractum cupio compluribus sanctitate insignibus viris partim in dignitate constitutis, partim privatam vitam agentibus. Nam ad summam rei quo attinet, Christiana Religio toto hoc durante tempore per universum Græcorum Imperium magnifice conservata fuit. Celebres Doctores, summi Antistites, Anachoretæ sanctissimi, multoque plures Martyrum, qui ad defendendum sacrarum imaginum honorem, vitam profudere, Ecclesiam illam illustrabant.

****

CAPUT V.

Mores Fidelium in Occidente à sæculo Christi decimo.

Religionis causa in Occidente integratum salvaque erat; de fide nulli dubitatio inciderat, nullæ hæreses extabant: ignorantia tamen & barbaries incrementum sumebant. Mira quidem ope & opera Carolus M. elaboraverat, ut humaniorum studia litterarum & Ecclesiasticæ disciplinæ observantiam fœdum in modum collápsa denuo erigeret, sed qui Carolo successere in regno, nequaquam summi

Viri consilii prosecuti sunt, eoque factū, ut Ecclesia & res politicæ brevi pejore quam olim loco esse inciperent. Æquidem in Saxonia, in Bavária, totaqúe reliqua Germania dissеminata jam erat Christi fides; verum ad eandem in Gente bellicosa, indomitaque afferendam Carolus M. fidei prædicationem ferro & suppliciis defendere coactús fuit. Multorùm igitur initio ad Christum conversiones metu potius, quam libera volúntate fuerunt expressæ; qui cum per eorum temporum iniquitatem instrui non possent, quantum ipsis necessarium erat, ut Religio veluti in novellis agris recens plantata radices satis altas ageret; credere juvat plùrimum inscitiæ & ad res divinas tarditatis in animis hominum relictum fuisse; atque hæc fortasse non postrema causa est, cur schismata & hæreses tam facilem aditum in universo Septentrione invenerint. Continua post Ludóvicum Pium civilia & intestina bella ignorántiam & morum dissolutionem in partes Regni Francici alioqui maxime sanas revocarunt, accedente ad cæteras miserías Normannorum Gentilium irruptióne, & vastitate ab omni parte illata. Hungari etiam ipsi Gentiles Italìam infestarunt; Saraceni diu admodum Italiæ finibus metuendi Apuleam jam denique & Siciliam occuparúnt, præter Hispaniam, quam ante centum jam annos & amplius

sibi

sibi subjecerant. Hunc in modum, quidquid ex Romanis moribus & urbanitate reliquum, progressu temporis abolitum fuit.

Ferenda utcunque erat Politices, artium & humaniorum disciplinarum jactura; nisi cum his Religionis etiam causa conjuncta fuisset. Verum ista sine studio & institutione, quæ fidei ac morum præcepta conservat, stare diu non potest. Imo Deus ipse, qui Ecclesiám suam nunquam destituit, singulari providentia curavit, ut in summa temporum caligine Doctores nihilominus satis illuminati, virique sanctitate illustres existerent, quorum vita cæteris exemplo esset. Offerunt se in sæculo Christi decimo S. Dunstanus in Anglia, in Galliis S. Odo, Abbás Cluniacensis cum primis suis successoribus, in Italia S. Romualdus atque hujus discipulus S. Bonifacius M. S. Adalbertus Pragensis & ipse Martyr, idemque Slavorum atque Hungarorum Apostolus, S. Udalricus Augustanus Episcopus aliique præterea, qui verbo, exemplis & miraculis cum sanæ doctrinæ, tum disciplinæ Ecclesiasticæ traditionem tuiti sunt. Sub eadem temporá Laicos etiam atque adeo summos Viros ac Principes observare licuit sanctitate claros, cujusmodi fuere S. Geraldus comes Aureliacensis, S. Stephanus Rex Hungariæ, & hujus filius S. *Emmericus*, Robertus Hugonis Capeti Francorum Re-

gis

gis Filius, & in Regno Successor, SS. Henricus Imperator & Cunegundis ipsius conjux.

In Sanctis his Henrico inquam & Stephano duarum nationum recens ad fidem traductarum animadvertere licet prævias ad virtutem dispositiones, quibus instructi erant populi, quos Romani Barbaros appellabant, erant illi ad æquitatem, ad ingenuitatem, ad castitatem propensi, voluptatum & commodorum corporis contemptores, pauperum vero & justitiæ peramantes. Tanta gravitate, candore animi, & magnanimitate præditi homines, ubi semel Evangelium degustarunt, derepente illud toto pectore ita complexi sunt, ut neque difficultatibus ullis avelli se ab eodem paterentur, neque ad ejusdem lenienda severiora præcepta benignæ interpretationis aliquid subtiliter excogitare vellent. Inferior quidem ipsorum indoles fuit Græcis & Romanis antiquioribus, si constantiam in agendo, judiciique maturitatem spectes; verum hæc ipsa res eo valuit, ut iidem simulationis & hypocrisis vitio minus essent obnoxii. Cæterum præcipuá damná, quæ decimo illo Sæculo ignorantia invexit, ista fere erant, quod Doctorum & Sanctorum, de quibus paulo superius egi, major indies raritas & infrequentia esse cœperit, quod fides, etsi, quantum ad substantiam pertinet, inconcussa

custa semper manserit, multis tamen & magnis adminiculis, exterioribus privata fuerit; denique quod apud multos Christianismus haud aliud ferme fuerit, quam pars quædam morum cujusque nationis, quæ solis propemodum externis ceremoniis, quibus nec falsæ Religiones carent, constare videbatur.

Christum passim omnes ita confitebantur, ut naturaliter id facere viderentur, & ferme pro una eademque re haberetur, hominem simul & Christianum esse. Promiscue igitur ista duo inter se jungebantur, ut adeo in medio Ecclesiæ Christianum, quemadmodum olim Philosophus ille hominem medio in foro, quærere liceret. Nihil prope Christiani a Judæis & infidelibus differebant, quantum ad vitia & virtutes attinet; nam ceremoniæ Religionum, quibus mutuo secernebantur, se solis nihilo meliores reddunt homines. Fatendum nihilominus est, in hac ipsa temporum nocte Evangelii divinam plane virtutem & efficaciam mirum in modum eluxisse. Quantumvis enim ignorantia mundus involveretur, omnes tamen etiam rudes mulierculæ agnoscebant & adorabant unum ac verum Deum universorum Conditorem, & humani generis Reparatorem Christum Jesum; omnes Judicium vitamque nunquam finiendam credebant. Hæc nostræ fidei morumque disciplinæ alti-

tissi-

tissima dogmata ab omnibus pro cærtis exploratisque habebantur; cum e contrario apud veteres Græcos vel cum florentissimus esset ipsorum status, sapientissimi quique inter eos disputandi & altercandi de hujusmodi veritatibus finem nullum facerent.

Libenter quidem concesserim, multorum vitam cum his ipsis fidei præceptis parum consensisse; licet enim nemo unus eorum aliquod in dubium revocaret, pauci tamen erant, qui ex iisdem in suos usus salutares elicerent consecutiones, multoque minor eorum suppetebat numerus, qui, quod animo verbisque confiterentur, factis item & moribus exprimerent. Nihilo tamen minus Evangelica morum disciplina non destitit, magna quædam etiam in malis Christianis commoda producere. Multum enim mali per eam impeditum fuit; populi immanitate plus aliis efferati, multum de sua crudelitate remiserunt, magisque tractabiles & mansveti evasere. Si a peccatis non temperabant omnes, eorum quidem certe pœnitentia & dolore compungebantur, & vel pœnis Ecclesiasticis ipsi se submittebant, vel saltem vitám suam damnabant, & adversábantur. Denique Christianismi professio illud maxime utilitatis orbi attulit, út humanitatis, pudicitiæ & honestatis quandam quasi auram omnibus afflarit,

rit, quam frustra ab alia quacunque religione exspectes.

********************:*****

CAPUT VI.

Oppositio morum ejus temporis ab instituto primorum Christianorum.

IN sæculi decimi perturbato præposteroque cursu quærenda nobis est origo maxime laxitatis in Ecclesiasticam disciplinam, & mores Christianorum introductæ. Nulli enim mores cum instituto primitivæ Ecclesiæ perinde pugnarunt, atque illi, qui per ea tempora in Italia, in Francia, ac prope in universa Europa impune dominabantur. Primi illi Christiani egregie imbuti erant Divinæ Legis cognitione, utque eandem perfectius condiscerent Lectionis atque piæ commentationis assiduitate procurabant; nihilo minus animis charitas; quam ingeniis sacra eruditio inerat; ejus nexu communiter animabantur omnes, interque sese fraterne consentiebant. Contra vero infelice illo sæculo ignorantia & dissensio passim invaluerant. Laicorum quam plurimi ne characteres quidem norant, librisque ferme destituti erant. Siqui forte Principum aut nobilium virorum antiquum aliquem

codicem inter cimelia sua conditum habebant, eundem, quod latino sermone conscriptus esset, cujus tunc usus exoleverat, neutiquam intelligebant. Nam in vernacula lingva nulla tunc volumina conscribi solebant. Neque nisi in latino idiomate officium Divinum & publicæ in Ecclesiis sacrarum litterarum lectiones peragebantur, quarum insuper expositio admodum infrequens per ea tempora fuit; raro etiam pro concione dicere auditi sunt. Sæculares vero Domini intra Castella quisque abditi satis habebant, aut in vicino quodam Monasterio Divinæ rei interesse, aut Missam duntaxat privatam, a Sacellanis celebratam domi suæ audire, ubi ad Civitatem Episcopalem adire integrum non erat. Sæpe enim per crebra bella, ea præsertim, quæ cum Episcopis sæculares gerebant, eodem accedere non licebat. Nihilo melius reliqua multitudo Fidelium instituta erat; si paucos cives excipias, qui urbes habitabant, præstantibus Episcopis instructas. Jam in densissimis tenebris incredibile prorsus videri posset, quousque hominum levissimorum credulitas progressa fuerit, nisi ejus rei expressa luculentaque adhuc in antiquissimis, ut vocant, Legendis extarent vestigia.

Sacerdotes & reliqui de Clero aut armis ipsi correptis tueri se, & hostiles im-

petus undequaque ingruentes a se propulsare cogebantur, quo Ecclesiæ possessiones, quibus ipsi victitabant vindicarent; aut dura egestate compulsi ád humilia nimis atque indigna ministeria abiicere se debebant, aut denique provincias obire ab Episcoporum aut Dynastarum quopiam victum emendicaturi. Inter has rei familiaris angustias & publicas calamitates quænam ipsis studiorum opportunitas, quis modus suppetebat tuendæ morum æquabilitatis, vitæque pro gradus sui ratione recte componendæ? Sane extra Ecclesias aliquot Cathedrales & Monasteria locus relictus erat omnino nullus, in quo litterarùm studia & Christianæ legis exacta observatio veluti continua Traditione servata propagarentur. Cluniacenses præcipue Monachi plurimum hac in re per ea tempora elaborarunt.

Inscitia hæc & indigentia fecere, ut non jam amplius Ecclesiarum damnis commoti Clerici, ad sua potius lucra respectarent, ac privati solum negotiis curas intenderent suas. Inde simoniaca lues adeo vulgari cœpta Concubinatus etiam invaluit, perque summám temeritatem ac impudentiam modis omnibus assertus fuit. Rudes isti imperitique Ecclesiástici qui ministeriùm suum haud aliter átque opificium tractabant, nec jam in communi, sed seorsim ab aliis vivebant, neque litteris

neque

neque precationi sacræ, sed curandæ augendæque rei operam sedulo navabant, non intelligentes sacri Cælibatus gravissimas causas, legem istam continentiæ pro jugo habebant ac tyrannide nulli ferenda. Hinc rabies illa, & furor incredibilis exarsit, quo in Gregorium VII. Pontificem Maximum; aliosque, scándalis hujusmodi extirpandis intentos, debacchati fuere.

Bonorum ingentium splendor, quibus Ecclesiæ abundabant, vehementer Principum ac Dominorum sæcularium animos sollicitabant, quibus ád vim inferendam nunquam non in promptu sua arma erant. Sæpe Episcopatus ab hominibus alia omnia promeritis violente usurpabantur; sæpe ex vicinioribus Dynastis unus filium suum natù minorem intrusit, quo filii nomine Ecclesiàm spoliaret. Nec ipsa adeo Roma his malis immunis fuit; vicinos præsertim Regulos ac Tyrannos habuit infestos; intraque sæculum illud decimum continuæ propemodum erant Pontificum summæ & Apòstolicæ Sedis intrusiones atque expulsiones, in qua tamen ad id usque temporis morum disciplina quam purissima permanserat. Rara item cogebantur Concilia, propter bella aut potius latrocinia publica & passim usitata, vix ut ex una civitáte in aliam tutus esset commeatus.

Ut aliquantulum respirare tot inter ma-

la liceret, induciæ demum faciendæ erant, quæ *Trega* five *Treva Dei* nominabantur; qua voce ceſſatio ab omni vi hoſtilique aggreſſione intelligebatur, ſive certis per hebdomadam diebus, ſive adverſus certas perſonas obſervanda. Trega hujuſmodi complurium authoritate Conciliorum atque anathematis inſuper propoſitâ comminatione ſancita fuit. Tánta etiam tum vis Religionis fuit, quam in animos mortalium exercuit, quantumvis efferati atque indomiti hi eſſent, convulſiſque ſocialis vitæ repagulis omnia per vim ac violentiam agerentur. Hoc quoque tempus illud eſt, quo Excommunicationis frequens facta mentio fuit, in percuſſores Clericorum latæ. Nam prioribus ſæculis, cum ſola Fidelium reverentia tuti ſatis ac defenſi eſſent Clerici, vix ad pœnæ genus animadvertere unquam licuit; conſecutis vero mediis Eccleſiæ temporibus, cum atrociſſimis paſſim injuriis & inſultibus Eccleſiaſtici paterent, extremis item remediis utendum fuit.

Extrav. vag. de Trev. & pac.

CA-

**************:***********

CAPUT VII.

Ecclesiarum inopia.

Normannorum populatione aliisque internecinis bellis Templa & Monasteria maximam partem eversa dirutaque fuerunt; quæque ex iisdem supererant, omni cura destituta veluti sponte sua in ruinam inclinare permittebantur, falsa nimirum persvasione Fidelium animis passim insidente, fore, ut annus a Christo nato millesimus orbi universo supremus illucescat. Hæc causa est, cur antiquissima etiam templa, quæ hodiedum extant, vix ultra quingentos sexcentosve annos natales referant suos. Quo tempore instaurari atque a fundamentis novæ condi Ecclesiæ rursus cœptæ sunt, forma quidem veterum ædificiorum retenta atque expressa iterum fuit, magnificentiam tamen veterem, sacræque supellectilis pretiosum apparatum imitari aut revocare non licuit. Etsi enim permagnis tunc quoque Ecclesiastici bonis instructi essent, Ecclesiæ tamen non cessabant & egere, & male administrari; propterea quod bona illa in titulos multorum beneficiorum veluti in totidem rivos divisa essent, quorum annui proventus a Possessoribus quam

quam plurimis ita curabantur, ut si privatá eorum bona forent, quam minima proventuum parte ad usus atque impensas publicas erogata. Episcopi ád quos redituum illorum pars máxima pertinebat; propter sæculares Dominátus, quibus sub id tempus instrui cœperant, non poterant non aliorum more Principum numerosam alere familiam, aulamque & apparatum suæ dignitati congruentem comparare. Quid? militum mánipulos suis non raro stipendiis in promptu habere cogebantur Ut adeo, si vel zelo animarum antecessoribus suis pares essent, tamen in faciendis impensis ad Ecclesiarum cum fundamenta, tum ornamenta longe impares Majoribus fuissent suis, qui & parcissime pro se victitabant, & universæ Diœceseos Ecclesiastica bona soli administrábánt; præterquam quod ipsa illa priscæ magnificentiæ veluti nobilis idea cũ tempore deperdita fuerit. Non parum erat calamitosis illis temporibus, secto ex lapidi Templa moliri, cupreisque columnis altare concludere; ex eadem materia cruces & candelabra formabantur, auro & argento faciendis sacris calicibus reservato; quanquam ne isti quidem, nisi in opulentioribus Ecclesiis aurei argenteique essent; atque ad hæc tempora prohibitio illa referri debet, adhibendi in Sacrificio calices ex vitro, cornu, ligno

Conc. Chalced. An. 787 Tribur, 895. c.

cupro-

cuprove factos, stanneorum calicum per- 13 *Rem.*
misso usu; Reliquiariæ demum thecæ sæ- *de Con.*
pènumero ligneæ duntaxat erant. Ex *secr.*
quibus eorum temporum miserrimum egen- *Dist.* 1.
tissimumque statum facile quivis arbitre- *c.* 45.
tur,

Cæterum quantumlibet egentes tunc Ecclesiæ essent, satis tamen ornatas magnificeque instructas fuisse; fatendum est, si cum profanis ædificiis comparentur sive civium privatas domos spectes, ex ligno duntaxat ædificatas, sive Magnatum ac Dynastarum palatia. Extant eorum adhuc reliquiæ quædam, ex quibus discrimen illud satis liquido apparet. Sæculares illi Domini non nisi Castella Turresque sibi extruebant, in quibus fabricandis firmitatis ac securitatis solummodo habita ratio est, cæteris Architecturæ ornamentis Templorum ædificationi reservatis; ad quæ locupletanda gemmas etiam suas & pretiosissima quæque iidem conferebant, id quod partim ex thesauris antiquorum Monasteriorum, partim ex Testamentis, codicillis, aliisque id genus antiquis chartis videre est. Robertus Rex pietatis causa Angeriacum * peregrinatus, Sacræ Ædi concham auream triginta librarùm dono dedit; aliis item Ecclesiis bene multis Calíces, Reliquiarias Thecas, diversi gene-

* Gallice S. Jean d'Angely Oppidum Aquitâniæ.

generis vasa, atque ornamenta dedit, præterquam quod *Capellam*, ut vocant *Regiam*, id est, instrumentum sacerdotale haberet, in paucis pretiosum ac splendidum, quod is, quo quo iter dirigeret, secum deferri curabat. Sub eadem tempora Gnesnensis in Polonia Ecclesia a Bohemis expilata fuit, ac per sacrilegam rapinam inde ablata Crux aurea trecentarum librarum, Christi è Cruce pendentis simulacrum librarum facile nongentarum, denique tres tabulæ primarii altaris ex auro purissimo gemmis ornatæ, præter alia innumera ornamenta in vasis & sacra supellectili: & hoc quidem in Regno illo, quod sane inter cætera Europe Regna opulentissium non est.

Baron. ad An. 1036. *n. III.*

Sed enim parum proderat, abundare Ecclesias, nisi elegantiæ quoque & munditiei cura accederet, quam tamen ejus sæculi rusticitas, ae veluti depravatus quidam gustus excludebant. Eadem Ecclesiarum inopia fecit, ut Clericorum, quorum non omnino necessaria videbatur ad sacras functiones opera, numerus contraheretur atque adeo penitus tolleretur, hujus generis erant Ostiarii & Acolythi; brevique res eo rediit vix ut præter Sacerdotes alii inferiorum ordinum Clerici superessent, quorum quilibet suo gradui peculiare obiret ministerium, quare functiones hujusmodi sacræ aut penitus inter-

ter-

termiſſæ, aut a Laicis miniſtris famuliſque curari cæptæ fuerunt. Ac ne ordo quidem, qualem olim Fideles pro ſexus & ætatis diſcrimine in Eccleſia ſacroſanctum obſervábant, in ſacris cœtibus ultra cuſtoditus fuit; quin potius depoſita Eccleſiaſtici ſtatus reverentia, veluti perrupto aggere, Laicorum & fœminarum turmæ in loca templorum ſecretiora proxime Sanctuarium ipſum temere ſe infundebant; neque tunc laboratum amplius fuit, ut in locis a ſtrepitu remotis templa extruerentur, vacuumque circumquaque relinqueretur ſpatium ad ſupplicationes commodius deducendas; nimium enim tanta templorum laxitate civitatibus detrahi credebatur. Ergo pietatis ſumma in Eccleſiárum atque Altarium reponebatur numero, quin de iiſdem laute ac magnifice inſtruendis multum ſolliciti Fideles eſſent.

Et fuit ſane tempus illud, cúm ſacellorum domeſticorum augeri ſupra modum numerus cœpit. Conſtantinús M. poſt converſionem ſuam unum in palatio ſuo Oratorium, unum item templum vel potius Tabernaculum portatile habebat, quod *Euſeb.* caſtra ſemper atque exercitum ſequeba- *in vita* tur. Tenuere morem hunc ſubſecuti *Conſt.* Conſtantinum Chriſtiani Reges, & erat in- *Sozom.* primis celebris Caroli M. *Capellæ.* Is, *l. c. 8.* ut erat prope aſſidue in itinere detentus,

vo-

voluit semper deportari secum Reliquias, sacrum ornatum, & quidquid ad rem divinam faciendam necessarium erat, una cum numeroso selectoque Clericorum cœtu. Quare nihilo minore apparatu in ipsius Capella, quam in quacunque Cathedrali Ecclesia, Divinum Officium peragebatur. Caroli exemplum Successores ipsius imitandum putarunt; hos porro uti aliis in rebus omnibus, ita in isthac quoque secuti sunt Principes ac Reguli, qui in Carolingicæ Domus ruinis suam dignitatem inædificarunt. Cum vero quilibet Regulorum hujusmodi, quibus Europa omnis quam brevissimo temporis intervallo abundare cœpit, intra castelli sui munimenta clausus ac defensus, vicinos suos bello appeteret, quilibet etiam ipsorum intra arcis suæ ambitum peculiare sacellum sibi depoposcit, ne, quo tempore per tumultus bellicos alio concedere non licebat, Officii Divini & Missæ fructu carendum esset. Ergo alias necessitate, alias desidia adducti ab Ecclesiis publicis abstinuere; nec nullam ea in re partem sibi vendicabat ambitio, & aliorum despicientia; ne videlicet mixti ultimæ plebeculæ quisquiliis summi viri cernerentur, sed ut potius sacellanos in famulitio suo numerarent. Persæpe sæculo Christi nono labente conqueri Patres auditi sunt, quod Ecclesiæ a copiosis viris atque Magnatibus

Concil. Ticin. An 855. c. 4.

bus deserantur, legeque sancitum fuit, ut solennioribus saltem festis eodem isti quoque se conferrent. Secundum illa tempora Altaria portatilia, sacella domestica & privatæ Missæ usque adeo multiplicata sunt, ut sensim Majores Ecclesiæ a solis civibus & vulgo frequentarentur; quæque ante publicis templis offerri a Dominis solebant, ea isti in privatorum suorum sacellorum usus erogabant; cumque per ipsorum absentiam multum de Officii Ecclesiastici splendore deperiret, dubitare non licet, quin ipsorum etiam Ecclesiasticorum hominum fervor intepuerit. *Theod. dulph. can. 45 46.*

Nullum tamen incommodorum, quæ magno numero tanta Ecclesiarum indigentia procreavit, molestius graviusque erat, quam pauperculorum neglectus & solitudo. Qui enim consuli huic turbæ a Clericis poterat, quibus etiam ipsis cum fame luctandum erat? aut undenam conquirere pias eleemosynas vacabat, cum latrociniis & populationibus intuta essent omnia? Xenodochia profecto nisi in opulentis urbibus exstrui conservarique non possunt, utque admissi ibidem egeni solicite ác bene tractentur, hominibus opus est prudentia, charitate, cæterisque ad gubernandum aptis dotibus abunde ornatis. Atqui nihil ferme istorum per ea tempora reperire erat. Ipsa adeo commercia sublata erant, quorum ope id, quod uni regioni

na-

natura negat, importatis in eam ex alia abundantiore provincia mercibus supple- tur, ac veluti exæquatur. Progressu temporis tamen a Primoribus ac civibus opulentiorum urbium diversi generis Hospitalia, interque ista duæ præsertim Hospitalium novæ classes, leprosis & peregrinis excipiendis fundata fuere; quorum major pars post tempora S. Ludovici primum erecta fuit. Habes hic, amice Lector, præcipuos effectus, quos sæculi illius decimi depravatus genius produxit. Quæ qui enucleatius persequi singula velit, historiam universam calamitosi illius ævi conscribere necesse habeat; sed nobis ad scopum huic operi præfixum sufficiat, summa rerum capita attigisse.

****

CAPUT VIII.

Initium Reformationis à S. Petro Damiano susceptæ.

SÆculo Christi undecimo exeunte disciplina Ecclesiæ prob que mores erigere iterum caput, ac reflorescere incepe- runt, zelo & cura S. Petri Damiani, Summis Pontificibus Leone IX. Alexandro II. Gregorio VII. & Urbano II. authoritate, qua pollebant, Apostolica summaque sancti Viri consilia promoventibus. Educatus

is fuerat inter Monachos *Nigros*, ut vocabantur, Cluniacenses, qui vitam monasticam ad statum pristinæ puritati admodum affinem veluti postliminio revocarunt. Magis etiam elimata Monastici instituti perfectio fuit, opera Monachorum Candidorum Cistercienfium, qui ad exordium sæculi duodecimi natales suos referunt. Itaque Petrus Damiani, quique eodem, quo ille, spiritu afflati erant sancti & summi *Pontifices* incontinentiæ ac simoniæ, quæ geminæ pestes Clerum ea ætate miserandum in modum infecerant, magnis animis bellum indixere, utque augustum hunc ordinem ac statum in veterem ac primævum splendorem assererent, vitam restituerunt Canonicorum in communi viventium, qui eam ob rem *Canonici Regulares* dicti fuerunt, quo sic a cæteris in veterno suo & priori laxitate persistentibus secernerentur Canonicorum Regularium vita parum a monastica distabat; totaque propemodum differentia in eo sita erat, quod Clerici omnes ii essent ad ministeria Ecclesiarum destinati, ex quibus proinde Pastores & Episcopi maxima ex parte creabantur. Tota igitur hæc pietatis & exercitationis virtutum Christianarum instauratio ad solos ferme Clericos ac Monachos pertinebat; & revera plurimum etiam ad communem Christianismi utilitatem intererat, utrumque hunc sta-

statum ad veterem formam refingi.

Divus Petrus Damiani & plerique illorum temporum sancti Viri ad internam animorum culturam, quæ solidis virtutibus exercetur, corporis etiam afflictationes atque asperitates adjunxere, quibus ævi nostri delicati mores ægre admodum insuescere sustinent. Sed credere juvat, divinitus ipsis injectam eam mentem fuisse, qua novam hanc vitæ rationem stabilirent, ad morbos eorum temporum opportunis veluti medicamentis curandos. Agendum ipsis ac decertandum erat cum natione tam perversa & refractaria, ut ad eam salubriter commovendam rerum externarum, quæ sensus corporis graviter ferirent, veluti arietes admovendi essent. Parum enim exhortando, parum ratiocinando proficiebatur apud homines rudes, barbaros, cædibus & rapinis assuetos. Imo ne quidem utcunque severa pœnitentiæ & austeritatis opera quidquam effecissent in populo duris militiæ laboribus innutrito, loricaque & armis nunquam non onerato. At ubi videbant isti S. Bonifacium Divi Romualdi Discipulum frigidissimas regiones nudis pedibus peragrantem: ubi S. Dominicum intuebantur cognomento Loricatum, dirissima verberatione tergora totumque corpus cruentantem, intelligebant illi denique, serio rem agere Sanctos istos, vereque Deum amare, ac

pec-

peccata toto pectore detestari. Nihilo majorem animis religionem injecisset orationis internæ ac mentalis usus imo hanc ne percepissent quidem inculti, efferatique homines, nisi moveri etiam labia, & in psalmos decantandos solvi lingvas persentiscerent. Tunc primum diligi a Sanctis hisce proximum animadvertebant, cum eosdem cernerent, voluntarias pro ipsius salute pœnas ultro sibi infligere, suppliciaque de se sumere, quæ ex Canonum placitis subeundá peccatoribus erant, si ad eadem perferenda vires atque otium non defecissent. Ergo sub id tempus pœnitentiæ Ecclesiasticæ redintegrata consvetudo est, & quamvis ejus obeundæ spatium contrahi tunc cæperit, non pluribus verbi causa ad expiandum homicidium quam septem annis præfinitis: quia tamen, ut erant tum tempora, qui homicidia triginta ac totidem cum adulteria tum perjuriá commiserat, pœnitentiam per aliquot sæcula extrahere debuisset, ideo Indulgentiæ cærtorum annorum impertiri cœptæ sunt, quarum in aliquot Bullis Pontificiis mentio fit. Pœnarum iste & pietatis exterior ac terrificus apparatus crudos peccatorum animos denique conciliavit átque emolliit, ut majori quam antea docilitate faciles Sacerdotibús ac Religiosis Viris præberent aures, quippe quorum vita admirationi erat,

U mul

multique ea ratione permoti ad meliorem se frugem recepere. Cæterum prolixior psalmodia, flagrorum & catenarum ferreárum, ac reliquorum usús instrumentorum, quibus macerari caro solet, nequaquam recens eorum temporum inventum erat. Plura jam olim hujusmodi severitatis exempla edita fuisse, Theodoretus in Historia sua religiosa demonstrat; unusq; Simeon Stylites sufficere abunde potest, ád quodcunque genus pœnarum quamlibet atrocium authoritate sua & exemplo commendandum. In regula S. Columbani, qui proxime finem sexti sæculi floruit, maxima pars erratorum, quæ Monachi admitterent, flagellorum certo numero præscriptis ictibus castigata fuit. Psalmodiæ porro tempus in eadem regula nunc brevius nunc prolixius erat, pro noctium videlicet inæqualitate, quæ in ea regione, ubi Sanctus is degebat, multoque magis in Hibernia, unde ádvenerat, tam vária & multiplex est, ut interdum noctes hyemali tempore inciderent, quibus dimidium Psalterium absolveretur. Subinde Sanctos bene multos videre erat, voluntáriis flagris in se animadvertentes, plures etiam, qui pro sua privata pietáte totum in dies singulos Davídis Psalterium recitarent. Flágellationum ille mos in abusum denique pertractus fuit ab Hæreticis, qui ea re *Flagellantes* appella-

ban-

bantur, quique in Italia sæculo Christiano tertio decimo prodiere; hi enim devotionis præcipuum caput in publicâ verberatione situm esse contendebant. *Annal. Eccles. an 1260*

Psalmodiæ longioris studio temporibus, de quibus hic agimus, Officiorum Ecclesiasticorum crebrior numerus introductus fuisse videtur. Nam a Cluniacensibus Officium Defunctorum constitutum, & S. Petri Damiani ætate Officium parvum B. V. inchoatum fuit, quod subinde Laicis omnibus, qui legere scirent, familiare & usitatum esse cœpit. Rosarii porro, aut Coronæ B. V usus adjuvandæ rudium pietati excogitatus fuit. Jam inde a prioribus Ecclesiæ sæculis solitarios quosdam sive Anachoretas accepimus, singulis diebus orationum certum & oppido magnum numerum devotionis ergo persolvere solitos fuisse. Dè quodam S. Paulo Libyco Sozomenus in hunc modum scribit: *veluti quoddam tributum habens impositum, trecentas orationes unoquoque die reddebat, & ne numero forte delinqueret, trecentos lapides ponebat & singulis orationibus* (finitis) *lapidem mittebat in sinum Expansis vero lapidibus, orationes sciebat esse completas.* Consecutis post temporibus adhibita sunt grana precatoria filo inserta; quorum usus apud Orientales æque, ac apud nos, receptus est. Religiosis; qui legendi rudes erant, *P. Dam. lib. 6. ep. 32.* *In Histo-ria Eccles tripar l. VIII. c. 1.*

ut Templarii & Fratres Conversi Cistercienses, loco singularum Officii Divini Horarum certus numerus Orationum Dominicarum, quas recitarent, imperátus erat. Ad extremum S. Dominicus *Rosarium* instituit, centum & quinquaginta salutationibus Angelicis contextum, quo rudes Psalterii loco uterentur; ex Rosario postmodum Corona Virginis originem duxit.

*******************:****

CAPUT IX.

Cruciatæ.

SUsceptæ sæculo Christi undecimo Cruciatæ sanctùm procul dubio expeditionum genus erant, planeque necessarium ad comprimendam Infidelium audaciam, secundósque armorum cursus inhibendos. Eo præcipue valuerunt, ut & Italia áb Infidelium continuis direptionibus præservaretur, & Sicilia ac demum Hispania ab ipsis occupata, barbaris hostibus liberaretur. Cæterum tam modus ac ratio ejusmodi expeditiones gerendi præpostera, quam fortuná ut plurimum adversa fuit; damnorum vero, quæ inde accepta sunt, longe maximum fuit disciplinæ remissio. Ad eam usque diem per-

perstabát pœnitentiæ Ecclesiasticæ úsus, nec nisi raro atque ad breve tempus ejusdem vel condonatio vel potius contractio fiebat. At ex eo tempore Indulgentia Plenaria introducta est, omnimoda, inquam, relaxatio quarumvis pœnarum Canonicarum, quas quisque peccando commeritus fuisset, si modo peregrinationem ad Terram Sanctam suscipere in animum induceret.

Nihilominus Cruciatas hujusmodi non tam simplicem meramque pœnarum omnium condonationem sive Indulgentiam, quam unius pœnæ cum altera permutationem esse volebant. Et revera peregrinationes ad locá populorum communi pietate celebrata, qualia erant Roma, Compostella, Turones, ac præcipúe Hierosolyma, multo jam ante inter Pœnitentiæ genera numerabantur. Etenim sæculo Ecclesiæ nono motas fuisse querelas constat de abusu non uno, qui in easdem etiamtum irrepserat; & aliquanto prius conditæ leges fuerant ad coercendòs vagos quosdam & inertes homines, qui pœnitentiæ obtentu regiones obibant nudis corporibus, ferroque & catenis ad universorum terrorem onusti. Hunc in modum a prìstino ritu obeundæ pœnitentiæ pedetentim discessum est, quam domi & in secessu fieri solitam, supra commemoravi. Sed tamen qui itá vel soli vel cum

Concil. Cabil II. An 813. Capitulum Aquisgranense. An 787. c, 73.

sele-

selecta piorum peregrinorum manu iter hujusmodi inibant, magis aberant a periculo seu dissipandi animum, seu in ea ipsa peccata, quæ expiatum ibant, relabendi.

Longe aliter se res habebat in Cruciatis. His enim qui nomen dederant, ii catervatim ac sæpe exercitus in morem proficiscebantur, próptereaque id genus militares, ut sic dicam, peregrinationes haud opportunum satis ad deflenda peccata remedium erant. Quomodo enim in tanta rerum undequaque in sensus incurrentium varietate animus secum habitaret, spiritumque compunctionis teneret integrum? Sane in longis itineribus ad eorum levandam molestiam libenter captamus blanda colloquia, longosque & familiares sermones miscemus; & qui minus quam cæteri sapiunt, cæteris esse solent loquaciores. Præterea sollicitudo procurandi victus & diversorii, ac diversi, ut in itinere fieri amat, repentinique casus animum alio avocant; facileque in cibo, potu & somno capiendis plusculum nobis indulgemus, ad insvetæ fatigationis lenienda incommoda. Jam ipsa itineris ratio non una semper nec æqúabilis esse poterat. Adde his tot regionum, quæ in profectione ad Terram sanctam peragrandæ erant, diversos mores; adde quæstuum occasiones ex tanta

genio.

gentiorum, morum atque lingvarum diversitate identidem pullulantes; adde blandissima illicia voluptatis ac dissolutionis, quæ & Provinciæ natûra sûa lætissimæ, & consvetudo cum nationibus fœdum in modum depravatis afferebat. Profecto qui eorum temporum historias litteris prodiderunt, fidem faciúnt, Crucigerorum exercitus militari licentia non modo reliquis exercitibus pares, sed etiam superiores fuisse, ac vitiorum omne genus, quæ partim ex sua quisque patria attulerat, partim in exteris terris addidicerat, ibidem regnasse. Quid multa? siquid votivæ illæ peregrinationes valuerunt ad castiganda peccata, castigátio hæc non tam Christianorum, qui expeditiones illas susceperant, quam Infidelium & Schismaticorum, contra quos susceptæ erant, peccata vindicabat, utpote quos hoc veluti attroci flagello Justitia mulctári voluit.

Quod ad Cruciatarum commilitones sive Crucigeros attinet, ejusmodí peregrinatio illis non tam pœnitentiæ, quam oblectationi erat. Non vacabat quidem molestiæ & doloris aliquo sensu, ad longum tempus patriam, familiam, charosque omnes deserere, sumptusque facere tanto itineri necessarios sed tamen, ut erant persæpe homines claro loco nati, venationi insuper, pugnis ac cædibus assue-

sueti, non poterant ipsi non præsente m fructum voluptatis percipere, ubi videbant in profectionem militarem conversas esse varias corporis asperitates ac pœnas, peccatis suis alioqui injungendas; cujusmodi erant jejunia, prolixæ preces, &, quod per id tempus insignis pœnæ loco imperabatur, abstinentia ab armorum & equorum tractatione. Aliis porro infimæ fortunæ hominibus, qui ruri vitam transigebant suam, parum certe molestiæ labor ille creare poterat, & qualis demum cunque is esset, locorum ac rerum nova indies obiecta sensibus veluti scena haud parum leniebatur.

Ratio etiam & via inita fuit, Indulgentiarum hujusmodi participes reddendi eos, qui expeditioni sacræ non interrant, dummodo eleemosynarum aliquid ad impensas sacri belli sublevandas erogarent Neque ulla hominum conditio reliqua fuit, quæ satisfacere pro pœnis criminum suorum non posset, quamvis canonicam illam & veterem pœnitentiam non subiret Etenim qui per egestatem largiri stipem non poterant, iis jejunia aliquot aut peregrinationes minus molestæ imponebantur. Hunc in modum satisfactio pro peccatis præstanda mere arbitraria incepit esse, Canonesque Pœnitentiales, cum in usum non amplius deducerea-

cerentur, cito oblivioni fuere dati; & præcipua pœnitentiæ difficultas non alia fuit, quam Confessionis necessitas.

Magno semper numero Crucigeris associabantur Episcopi, Sacerdotes ac Monachi; quorum nonnullos zelus Religionis minime fucatus, alios vero libertatis amor allexit. Licere enim sibi tunc putabant, arma non modo gestare, sed etiam contra Infideles exercere. Atque hinc proclive est judicare, quantum laxamenti in disciplinam Ecclesiæ tanta licentia invexerit, præcipue quod ea conjuncta esset cum inveterata longissimi temporis ignorantia. Ipsi Summi Pontifices tametsi cæteroquin optime animati, zeloque flagrantes, nonnulla ex hujusmodi malis ferre & concoquere taciti cogebantur. Nimirum ut summa rei non periret, dissimulanda erat privatorum quorundam dissolutio; connivendumque Ducibus, qui Religionis causam strenue promovebant, etsi eandem flagitiis suis commacularent,

CAPUT X.

Doctorum multitudo.

INtereà temporis instaurari studia litterarum cœpere, ita tamen ut Dialecticæ ac Metaphysicæ subtilitates haud paucæ ex Arabum disciplina haustæ iisdem inspergerentur. Antiquorùm voluminum raritás, multoque magis eorundem intelligendorum difficultas ad recentiorum Scriptorum lectionem propriæque rationis discursus invitabant. Hac ratione Theologia, quam Scholasticám vocant, alteri, quam Positivam dicimus, anteferebatur, avidiusque Magister Sententiarum aut Gratianus, quam Patres, unde sua illi acceperant, perlectus, atque in divinis litteris exponendis plus figuratus, quam litteralis investigàtus est sensus Non amplius apud solos Episcopos Prædicationis officium mansit; imo post sæculum Christi duodecimum complures ipsorum verbo Dei Clerique sui institutioni segniter operam suam commodabant; adeo se temporalium negotiorum procurationi debebant Laici enim ac præsertim sæculares Principes, cum litterarum ipsi plane rudes essent, Episco-

scoporum carere consilio & opera non poterant. Episcopi ergo aut Abbates Cancellariorum & Ministrorum Status, ut vocant, præstabant munera; causarumque propemodum omnium cognitionem atque judicia ipsi exercebánt. Ut adeo studia litterarum, Prædicatio, & Sacramentorum administratio partes inciperent esse muneris Doctorum, quibus Universitates abundabant, præcipue Mendicantium ex Ordinibus, qui laboranti calamitosis iis sæculis Ecclesiæ Dei sane quam opportune suppetias venere.

Cæterum omnes isti Doctores privati nulla ferme alia pollebant authoritate, quam quæ cuicunque suismet a meritis conciliabatur. Integrum discipulis erat, cui cui Magistrorum vellent, operam dare; inde opinionum & sententiarum in rebus, de quibus in utramvis partem disputare licet, nata diversitas. Cum enim inter Doctores admodum multi essent, qui a cura ánimarum vacui vitam omnem in scholis contererent, non poterant non abundare otio ad ventilandas quæstiones scitu sæpe curiosis ingeniis magis amœnas quam utiles. Laicis quoque data optio fuit & Concionatorem, qui magis arrideret, audiendi, & Confessárium deligendi, quamvis propius is Parochus non esset. Tanta Sacerdotum copia ac dele-

ctu naviter in suam perniciem abusi Laici facile unum aliquem in impertiendo sacramentali Absolutione plus æquo benignum repererunt; quique se juxta atque alios decipere non dubitarunt, frequentare Ecclesias, & divinis Mysteriis frui pergebant, quin ea re meliores efficerentur.

Quid ? quod ex ipsis Doctoribus ac morum Magistris quam plurimi corruptis populorum moribus ; tanquam torrenti, cedentes; complures atque insignes abusus ac laxitates veluti in normam morum abire passi sunt. Denique non deerant Casuistæ , ut vocant, qui suam de moribus & interiore foro doctrinam magis humanæ rationis discursui , quam sacrarum litterarum ac Traditionum placitis inædificárent; quasi vero Sapientia Æterna Patris Christus JESUS haud satis luculenter veritatem omnem, quæ fidem ac mores spectat, nos edocuisset; ut necesse sit cum antiquis Philosophis eam primum nescio unde eruere atque scrutari.

CAPUT

****

CAPUT XI.

Sanæ doctrinæ sanctorumque exemplorum perpetuis temporibus conservata successio.

QUalicunque tandem modo, & á quibuscunque personis Ecclesiá Deí pro temporum diversa ratione gubernaretur; sive Episcopi per se ipsi gregi suo advigilarent, sive Sácerdotes ab Episcopis aut Románis Pontificibus ad id destináti eam curam sibi sumerent; sive sæculares illi Presbyteri sive Regulares essent, sive ordinarii Pastores, sive aliunde accersiti Missionarii; una tamen Religio unum idemque sanæ doctrinæ veluti corpus permansit. Sua usque fidei eaque summa puritas, sua item præcipuis doctrinæ moralis capitibus firmitas constitit. In eo consentiebant ad unum omnes Dei legem observandám esse, prout illa a Traditione & anthoritate Veterum explicabatur, sanctosque Viros, quos Ecclesia publicó ac solenni ritu veneratur, pro vitæ regula ante oculos omnibus esse ponendos.

Deus ipse per intervalla temporum non destitit Ecclesiæ suæ viros submittere minime

nime vulgari sanctitate conspicuos, qui & dogmatum fidei servárent puritatem, & consopitam in hominum animis pietatem veluti admotis stimulis excitárent. Quantus, Deum immortalem! quamque per omnia summus Vir S. Bernardus erat! qui in se uno collegerat Prophetarum zelum luculentis prodigiis comprobatum, doctrinam atque eloquentiam Maximorum Ecclesiæ Doctorum, ac mortificationem denique vitæque austeritatem perfectissimis Anachoretis parem. Multum etiam haud dubie Innocentio II. cæterisque eorum temporum nomine ac re Summis Pontificibus debemus, multum item Magistro Sententiarum, Divo Thomæ aliisque, qui Theologiam in eam formam ac methodum, quam hodie Scholasticam vocamus, redegere. Sanctus Franciscus Assisias quam insigne omniumque in oculis positum mundo exemplum edidit Evangelicæ perfectionis ad litteram, ut ajunt, observatæ, colendo humilitatem ac mortificationem primis illis Apostolorum temporibus plane dignám! Ire de sæculo in sæculum, de progenie in progeniem, conservata á Deo O. M. in Ecclesiá fuit non modo castæ puræque doctrinæ, sed exercitationis etiam virtutum Traditio.

Dicamus igitur quod res est. JESUS Christus idem hodie est, qui heri fuit, idem.

idemque erit omnium decursu sæculorum. Frustrá degeneres & improbi Christiani inde a longo retro tempore elevare atque infringere conantur eam, quæ hactenus perpetuo servata fuit, antiquitatis & exemplorum, quibus Sancti præluxere nobis, reverentiam, falso statuentes atque in vulgus jactantes, homines primis illis Ecclesiæ sæculis longe diversæ a nobis naturæ fuisse, corpora ipsos habuisse robustiora nostris, & jejunio aliisque asperitatibus ferendis longe aptiora, animos vero indolemque gessisse magis docilem, atque ad virtutum quarumcunque exercitationes multo paratiorem. His tu hominibus si dicas sanctos Petrum & Paulum vitam duxisse pauperem, laboribusque & ærúmnis obsitam; continuo respondebunt: Atqui hi Apostoli erant. Si urgeas, sanctos Antonium, Martinum &c: in divexando multisque modis excruciando corpore insignes fuisse; isti quoque, reponent, Sanctorum e genere erant. Si porro instes, sanctum Augustinum Clericos suos ad vitam in communi agendam instituisse, vitamque, etsi Episcopus esset, planam nihilominus ac simplicem egisse, istud quidem, inquient, temporibus illis apte congruebat. Diceres gravissima illa nomina *Sanctitatis. Antiquitatis, & Primitivæ Ecclesiæ* totidem legitimos titulos esse exceptionum, quibus nostræ ætatis

Chri-

Christiani ab usu pœnitentiæ, a continua divinæ Legis commentatione, a voluptatum sæculi, ac turpis lucri fuga, ab obligatione demum vitæ Clericalis ad cæterorum ædificationem recte instituendæ eximi se putant. Adeo illi omnia sibi objecta solvere ac diflare videntur sola temporum distinctione:

**********:**********

CAPUT XII.

Quinam abusus, & quatenus tolerati fuerint.

NOn nego abusus aliquot, qui altas jam radices egerant, ab Ecclesia dissimulatos fuisse, expectante interim opportunitátem, commodumque tempús eos denique extirpandi; illud etiam concesserim, propter duritiam cordis humani nonnunquam laxamenti aliquid in veteri & severiore disciplina permissum fuisse; ut cum data copia est; diebus esurialibus horam refectionis anticipandi, præterque istam cœnulæ quidquam, Collationem vocamus; sumendi; cum item pœnitentiæ aut satisfactionis de peccatis injungendæ modus ac mensura Confessariorum prudenti arbitrio relicta, cum Indul-

dulgentiárum thesaùri frequentius impertiti, cum monasticorum institutorum complurium temperata severitás fuit. Sapienter nimirum existimabatur, Religiosos etsi infra regularum suarum modum perfectos, multo tamen in Religioso statu quam in sæculo futuros esse meliores; longeque præstare, lenire aliquantulum jejuniorum molestias, quam, ut eadem penitus aboleantur, permittere. Cæterum non est, cur quisquam ex ista Ecclesiæ Indulgentia jure concludat, planiorem nostra hac tempestate magisque expeditam ad cœlum viam esse factam, nosque Majoribus nostris hac in re longe feliciores judicandos, aut Pontifices & Episcopos extremorum temporum plus Prædecessoribus suis sapere voluisse.

Sufficit attente perlegere Constitutiones Canonesve Ecclesiasticos, in quibus remissionis aliquid & gratiæ concessum fuit, & liquido apparebit, nunquam ad ejusmodi concessiones Ecclesiam nisi dolentem ac prope reluctantem induci se deniquæ passam esse. Accedit, quod plura ex iis, quæ nunc laxius fiunt, solo usu & consvetudine introducta fuerint; dum interim Ecclesia mirifico studio hactenus conservavit certás formulas, quibus antiqua severiorque disciplina hominibus identidem in memoriam revocetur; hujusmodi

sunt consvetudo ante mensam cantandi Nonam aut Vesperas in feriis Jejunii (ut appareat, cœnæ non prandii loco refectionem illam esse) item formulæ omnes Ordinationum & cæterarum functionum in Ecclesia publicarum, quæ quasi totidem publicæ contestationes sunt, sæpius per annum iteratæ ad præpediendam omnem contra antiquas leges præscriptionem.

Aliqui tamen abusus ab Ecclesiâ semper proscripti ac damnati fuere: hujus generis sunt ludi inhonesti, qui per summam impietatem atque impudentiam in ipsis adeo Ecclesiis editi, a Concilio Basileensi demum prohibiti fuerunt; profanæ item hilaritates in festis Sanctorum, quarum reliquiás nostro quoque ævo cernimus in festis S Martini, SS trium Regum, & quo die in pagis SS. Ecclesiæ Patronorum anniversaria recolitur memoria; antecineralium denique dierum licentia, quæ haud alio sane ex fonte manare potuit, quam ex imminentis horrore Quadragesimalis Jejunii. An vero timere olim atque existimare poterant Apostoli & Apostolorum Discipuli, futurum aliquando, ut adeo sancta præparatio ad paschalem solennitatem in occasionem licentiæ atque intemperantiæ vertatur?

Conc. Basil. sess. 21. c. 11. Synod. Wigornensis an 1240 cap. IV

Nun-

Nunquam non sancti ac genuini Christiani contra hujusmodi abusus pugnandum sibi existimarunt. Constat sancti Caroli Barromæi quanta contentio fuerit in iis extirpandis, quantoque is labore & constantia spiritum antiquæ disciplinæ revocare ad usum alláborarit, vel in minutissimis Religionis nostræ partibus Neque alio collimant Tridentinum Oecumenicum, & complura Provincialia Concilia; eundemque finem sibi propositùm habent tot ac tantæ Reformationes Religiosorum Ordinum, abhinc sæculo uno pauloque ulterius susceptæ, ut videlicet ad primævam institutionem suam revocentur. Profecto ferre sancta Theresia non poterát, ut discretionis prætextu quorundam zelo modus poneretur, Sanctos primorum temporum imitari cupientium. Hoc discretionis genere depravari mundum sancta & sapiens Virgo querebatur, plane & asseveranter affirmans, homines ævi sui, quod nostro tantum non confine ac proxime superius erat, capaces esse virtutum omnium, quæ primitivam Ecclesiam illustrarunt; eamque in rem S. Petri de Alcantara vitam refert, cujus ipsamet occulata erat testis.

CAPUT

CAPUT XIII.

Usus præsentis Dissertationis.

TAntis authoritatibus ac testimoniis innixus operæ pretium facturum me putavi, si, quales fuerint, omninoque esse debeant Christianorum mores, universo terrarum orbi ante oculos ponerem. Nihil in toto hoc opere a me commemoratum fuit, quod Viris litteratis non perspectum, atque ex libris, quos ipsi manibus terunt, acceptum sit; imo multa a me prætermissa fuisse iidem facile animadvertent. Sunt tamen inter hactenus descripta complura facta, quæ cæteræ Fidelium multitudini haud satis cognita, ad eorum tamen ædificationem non parum momenti habent. Intelligent isti nimirum, nequaquam Religionem Christianam ad meras consvetudines ac veluti formulas quasdam exterioris cultus arctandam esse, neque tam paucis, quam ipsorum pars magna crediderit, exercitationibus atque officiis includendam. Hujusmodi sunt, precatiunculas aliquot mane ac vesperi recitare, Dominicis diebus Sacro uni privato interesse, quadrage-

gesimam non nisi ciborum discrimine a reliquis anni partibus distingvere, & áb ejusdem observatione levibus de causis sese eximere; ad divina Sacramenta perraro ac sensu pietatis tam exiguo accedere, ut ob eam caùsam solennisma per annum festa præ aliis diebus ingrata molestaque accidant. De reliquo mundanis cùris aut sensum corporumque oblectamentis ita vacare, ut nemo Gentilium supra, Non est ista profecto Christianorum, quales hucùsque adumbrare conatus sum, genuina forma átque imágo.

Fortasse etiam nonnullì eorum, qui Reformationis obtentu ultro sese a nobis segregarunt, ista ex dissertatione agnoscent, male fundatum esse schisma suum, secessionémque á reliquo corpore, neque Primitivám Ecclesiám ejusmodi esse, qualem ipsi sibi animo effingunt; longeque alia áç diversâ esse Catholicorum dogmata ac principia ab iis, quæ passim ipsis proponi solent.

Denique sperare ausim, morum adeo sánctorum contemplatione nonnihil commotum iri quorundam animos, qui temere nimium ac cœco impetu verám Religionem cum falsis confundunt, quas aut error aut pseudopolitia mundo invexit. Siquis horum ex numero animum adver-

tere

tere ac reflectere cogitationem volet ad incredibilem morum commutationem, quam in universis nationibus Evangelica Lex effecit, atque reputare secum, quantum nullo non tempore veri probique Christiani a quibuscunque Infidelibus diversi, quantum iisdem superiores fuerint, næ is plane perspiciet, solidioribus opinione sua fundamentis Christianam fidem inniti, omninoque credi oportere, non nisi maximorum efficaciâ prodigiorum eandem in orbe constabilitam fuisse; nam sine miraculis tantam rerum conversionem accidisse, id enim vero miraculum esset cæteris omnibus magis incredibile. Prodigiorum ejusmodi tanta vis ac splendor erat, ut non nisi multo post in dubium ac controversiam vocare illa nonnullis in mentem venerit. Ut enim de iis duntaxat loquar, quæ nobis luculenter constant, haud multo amplius quam duobus abhinc sæculis Itali quidam fuere, ingenio illi quidem præstantes & indolis experrectæ, verum in materiá Religionis admodum peregrini, qui offensi nonnullis abusibus, qui in eorum oculos incurrebant, hanc credendi opinandique licentiam introduxerunt. Isti enimvero antiquorum ex Græcis Latinisque Scriptorum elegantia capti, legibusque politicis, quas ex illis hauserant, ác vivendi ratione usque ádeo deliniti ac prope fascinati tenebantur, ut

præ-

præter illa vetera nihil aliud propemodum sine stomacho tædioque legerent, admitterentque; idque eo ab illis factum est libentius, quod veterum illa præcepta cum depravata mortalium natura moribusque multitudinis melius utique & commodius, quam Christianorum leges conciliari posse intelligerent.

Hoc ipsum malum recentiores hæreses confirmarunt, latiusque propagarunt. Illæ de fundamentis nostræ fidei tam frequentes controversiæ fidem ipsam in multorum animis labefactarunt, ut plane everterunt; qui tamen ob rationes nescio quas terrenas Catholicos se extima specie profiteri non desierunt. Adhæc inter heterodoxos longe major est illorum numerus, qui nulla amplius authoritate coerciti ex pravis suis principiis extrema omnia concluserunt, eoque demum delapsi sunt, vix ut ipsi sciant, quid credere tandem oporteat, sed Religionem haud aliter quam Politices partem aliquam considerent. Tam pestilens & infelix doctrina nullo negotio fundi latius cœpit. Juniores enim natu homines ubi inaudierunt vel a parentibus, vel ab aliis, quos ipsi cordatos & sapientes existimant, Religionem Catholicam impie ac petulanter traduci, & vero etiam serio asseveranterque proscindi tanquam nullis nixam solidis fundamentis, continuo laxioribus illis

pla-

placitis adhæserunt, utpote quæ pravis affectionibus suis magis congruere & favere intelligerent. Neque nullum ea in re locum vanitas & arrogantia habent, hac enim ratione suprà rude vulgus eminere se levissimi homines putant, & acutius cernere, quam boni illi nimiumque simplices ac creduli superiorum sæculorum Christiani fecerint. Adde nihil otiosis inertibusque animis áccidere commodius posse, quam ut abjecta procul cura rem tanti momenti, qualis Religio est, altius investigandi, in dubiis de Religione persistant, aut temere de iisdem nulloque præmisso maturo examine sententiam ferant. Verum dicant isti, per me licet, sentiantque, quod volent; contrária tamen exempla factaque toto hoc libro in medium allata inconcussa semper stabunt, & verum usque manebit, quod sæpe Origenes in libris contra Celsum inculcat, mundum universum a JESU Christo reformatum, ac virtutibus ad ea usque tempora penitus ignotis cumulatum fuisse.

10.
85.p.

FINIS.

IN-

10. 85. p.

INDEX LIBELLI.

PARS I.

PARS II.

Caput

P A R S IV.

Antiquæ & severioris inter Christianos

10. 85. p.

167

Ex Libris
Joãnis
S. Jarochi

10.

85. pag

T. A. J.

10

85 p.